B. N. C.
FIRENZE
1173
1

1173.1

Digitized by Google

[illegible]

c

OBSERVATIONVM

DECEM
CONCLVSIONVM
MANVS IN AVGVSTISSIMO TOTIVS ORBIS TERRARVM SALMANTICENSIS SCHOLAE THEATRO.

A DON AMERICO MARTIO Mediceo Juris ſtudioſo publicè diſputatarum, Dicata conſecrataq́;.

ILLVSTRISmo. ET EXCELLENTISSmo. D. D. Franciſco Mediceo Sereniſsimi Magni Etruriæ Ducis Fratri.

PRÆFVIT JOANNES DE Solorçano & Pereyra I.C. vel ad priſcam ætatem elegantiſsimus, digniſsimuſq́; Veſpertinæ Iuris Cæſarei Cathedræ Anteceſſor.

SALMANTICÆ. DIE 30 HORA 10 Menſis Auguſti, Anno. 1609.

ILLVSTRISmo· ATQVE EXCELLmo. D.D. FRANCISCO MEDICEO SERENISSIMI MAGNI ETRVRIAE DVCIS FRATRI.

D. Americus Martius Mediceus.

VLYSSES *Jlle Homericus in ſtadio cum Aiace curſu certans Palladem precibus affatur, vt eum compotẽ victoriæ faciat: an non ego ſupremum aliquod numen, primitias ei laborum meorum (veluti ariſtas Cereri) conſecrans orauero, vt*

 mihi

mihi hoc literarum curſu certanti fauoris auram benigniter aſpiret? cum me iuſſu Alexādri Martij Medicei iſtius floridiſsimæ vrbis Archiepiſcopi ac Patrui mei Amantiſsimi his adſtrinxi ſtudijs, nihil in votis, niſi tibi vni Illuſtriſsime atque Excellentiſsime Princeps litare. Triennium iam in ijs ſum: Quid ni ergo primos hoſce tibi fructus offeram? quos ſi exceperis, pernicitatem pedibus meis ad hoc fæliciter ſpatium decurrendum, non ſecus ac Vlyſsi illi Pallas, addideris. Et profectò hoc tibi debitũ, ſi in animo reuoluo quis tu, quis ego, qui tui, qui mei fuerint. Mei ampliſsimæ Mediceorum *familiæ tuorum munere inſerti fulgent clariùs. Tui (omitto ſtemmata, imagines, diuitias, facinora, Regna) qui deportatas iã, & toto pulſas orbe litteras reuocarunt, certiſquè firmarunt fulcris, nimirum ſuæ ſtirpis germinibus. Cuius non hærent memoriæ* Coſmi *illi Magni*, Laurentij, Leones? *Quis*

Iliad. lib. I. Ferdinandi *Patris tui ſene illo.*

Cuius á linguá melle dulcior fluebat vox.

prudentioris non recordabitur? At quis ego? nempe is quem non natura ſolum ſereniſsimo fratri tuo Magno Etruriæ Duci, *ſed &*

eius

eius benignitas ſubiecit. Te vero in tenerâ ætate grandis prudentia, diſciplinarum amor, comitas, atque præclariſsima indoles, non oculis duntaxat vniuerſorum, verum admirationi exponunt. Iure igitur beneficia cum vetera, tùm recentia hoc ſibi vindicant; ipſæquemet litteræ ad te ire (ſeu familiam, ſeu tuam videas propenſionẽ) ſatagũt, & vouent; quibus ſi obſiſtam meritò de me queratur Themis. Noui præterea milites ſub Magni, & periti Imperatoris alam præliari acrius, & hoc in cauſâ, cur hunc depromptorum ex iuris ſcientiâ dogmatum, quorũ veritatem defendendam ſuſcepi, manipulum tuo illuſtrari nomine voluerim; an non aduerſarios, ſi tu faueas, hilari fronte vltro aggrediar, & pene dixerim, profligabo? Faues? quidni? Triplex tibi cauſa: Theatrum vbi hæc edita certamina, Salmantica nimirum, totius orbis terrarum celeberrimum: Meæ fautor partis Ioannes de Solorçano Anteceſſor præſtantiſsimus, iuuenis adhuc, & eo cæteris doctior, quo iunior: meus denique affectus, qui vt hæc tibi offert, vtinam ſemetipſum ad tuos ſe ſiſtere pedes poſſet, & explicari. Ergo non dubito quin ad me ſpectatores vtrũque

què

què vertant pollicem; at inuidi, maleuoliquè plures: deſpicio; Nonnè ſimul ac liuidos oculos contorſerint, ſubitâ, & magnâ tui nominis luce cæcutient? ſpes omnino certa: eâque iam iam exhilaratus futuri ſucceſſus ſecurus rubrū in caſtris pendens vexillum videre geſtio. Interim Illuſtriſsime atque Excellentiſsime Princeps libellum hunc accipe, vbi relatas, atq; ad viuum pictas ipſasmet quaſi pugnas conſpicias: ſi qua tenuia nimis, vel leuia cognoueris, aſpice tamē. Ut ſtannū, & as ſolis radijs oppoſita argētum, aurumquê iudicas, ſic illa ſimul ac oculorum aciem intenderis, nō niſi optima, atq; elaborata videri poterūt. Hoc tibi tandem quicquid eſt libelli, mei affectus, cultuſque ſincerum monumentū, do, dico. Utinam tibi Deus ea, quæ nos tui clientes, quique in tuo iam eſſe are gloriamur, & merita tua elatis ſupercilijs cognoſcimus; vouemus, & precamur. Salmanticæ Kalendis Auguſti.

M. DC. IX.

EX NOBILIBVS IVRIS CONSVLTORVM

Cæſarumque reſponſis in lege ſecunda l. verbis ciuilibus 7. l. Centurio. 15. ff. de vulg. & pup. & l. Precibus 8. Cod. de Impub. & alijs ſubſt. Sequentes proponuntur Iuris ſtudioſis diſputandæ Concluſiones.

PRIMA CONCLVSIO.

TESTAMENTVM Quod pater impuberibus liberis facit, & inde pupillaris ſubſtitutio appellatur, Romanorum olim mores introduxerunt, & nouiores poſtea Cæſarum leges ſcripto formarunt. In quo nihil ex priuilegio parētibus datum, ſed omnia ex ſummo patriæ poteſtatis imperio, & Ciuilis iuris regulis promanaſſe, contra plures defendam.

SECVNDA CONCLVSIO.

VBI Maſculus decimi quarti anni, & fœmina duodecimi vltimum tetigerit diē,

 ſubſti-

ſubſtitutionem pupillarem penitùs extingui contendo. Adeo vt nec iure fideicommiſsi poſt modum ſuſtineatur, etiam ſi in ea longius tempus complexus fuerit parens.

TERTIA CONCLVSIO.

PVPILLAREM Subſtitutionem his ſolum liberis, qui vel naturali, & legitimo iure, vel legitimo tantùm in patris poteſtate teſtamenti, & mortis tempore fuerint, fieri poſſe tuebor. Extraneis autèm naturalibus, vel emancipatis, aut etiàm nepotibus in alterius poteſtatem recaſuris, etiam à milite, inutiliter fieri, neque (quicquid alij exiſtiment) fideicommiſsi iure defendi.

QVARTA CONCLVSIO.

MATER Alijque per maternam lineã aſcendentes, ob defectum patriæ poteſtatis pupillarem ſubſtitutionem facere nequeunt; quinimo nec ipſe etiam poterit pater, niſi prius ſibi (ſi paganus ſit) iuſtum, & ſolemne condiderit teſtamentum, & filium, cui pupillarem ſubſtitutum ſcribit, vel nominatim hæredem inſtituerit, vel vt oportet exhæredauerit. Neque enim probo Bartoli, & aliorum ſententiam, qui tacitam filij inſtitutionẽ ſufficere, perperam arbitrantur.

QVIN-

QVINTA CONCLVSIO.

COMPENDIOSAM Subſtitutionē, Bartolum ſequutus, eam eſſe cōtendam, quæ ſub conditione mortis, vel alia, plura tēpora, pluresque ſubſtitutionum caſus complectitur; quæ ſi verbis directis à milite fiat, intra pubertatem iure communi ſubſtitutum ad patris, & filij hæreditatem admittet; poſtea verò, vt directa militaris, ad patris duntaxat, cū fructibus inuentis in hæreditate.

SEXTA CONCLVSIO.

CVM Præter militis hæreditatem, fructus quoque eius militari ſubſtituto Papinianus adiudicet, dubium ab interpretibus iudicatur, de quibus fructibus hoc intelligi debeat. Sed ego verè dicendum exiſtimo, eos tantum fructus ſubſtituto deberi, quos hæres inſtituti filij percepit, à tempore, quo militaris ſubſtitutionis conditio extitit, qui ſane in reſtitutionem fidei commiſſariam, haud quaquam, niſi mora præcedente venirent.

SEPTIMA CONCLVSIO.

EXPRESSAM Pupillarem ſubſtitutionem, vel ſub compendioſa contētam, matrem etiam à legitima filij excludere cen-

ſco, vt magis communiter doctores admittũt. Quanuis non defuerint, qui ſe motis Pontificum deciſionibus contrarium Iure Ciuili inſpecto defendendum exiſtiment.

OCTAVA CONCLVSIO.

SED An, ſi miles in primum tantum caſum filio ſubſtitutum ſcripſerit, eius volũtas ad ſecundum quoque ex diuorum Marci, & Veri conſtitutione trahatur, non parum cõtrouertunt authores: multis exiſtimantibus in militis teſtamento, intellectæ ſubſtitutioni locum non eſſe. Ego ſub vulgari expreſſâ, tàm in militis, quàm in pagani teſtamento tacitam pupillarem latêre tuebor. Quæ tamen contra matrem effectum ſortiri non poſsit, niſi nos in contrarium aliquæ coniecturæ deducant.

NONA CONCLVSIO.

COMPENDIOSAM Subſtitutionẽ impuberi filio ſub conditione mortis cõceptam, quo caſu vt fideicommiſſaria effectũ ſortitur, tacitam illam conditionem *ſi ſine liberis* continere aſſero, quæ ab acutiſsimo Papiniano primum inuenta fuit. Quod tamen contra procedere oſtendam, ſi caſualis conditio compendioſæ adijciatur.

DECIMA CONCLVSIO.

LICET Miles ſi velit, etiam filij legitimã fideicommiſsi onere grauare poſsit, id tamen in dubio non eſſe præſumẽdum affirmo, atque adeo vniuerſali hæreditatis reſtituendæ fideicommiſſo filij legitimam non comprehendi.

D. OCT. COR: Cam. Apo: Cle.

AD LECTOREM, S. D.

E*X Quâ mihi, beniuole Lector, gente aſſurgis? ex ipſsis Ariſtarchis? ex ipſis, qui critice litterarum ludum & arenâ, vt ita dicam, beſtiariorũ tractant? ſecede: bonum factum: ſi hunc libellum non tã-*

gas; ac ne videas quidem emiſsitijs illis oculis; vtinam effoſsis. Vt lictoris officium præire, & ſummouere, præſertim infames, ne eorum occurſu Magiſtratus maieſtas contaminaretur; ſic meum, moroſos, faſtidioſos, blennos, buccones arcere, voce, manu, virga! *quippe ſi in manus libellum re ipſà bellum ſumant, nec ipſamet Pallas à viroſa lingua telis Ægide ſua defendat; flagitem, vt laudent? ne vt excuſent quidem, ſi quid erratum.*

Iuſta ab iniuſtis petere inſipientia eſt
Quippe illi iniqui ius ignorant, neque tenēt.

An potius, Lector, ex illis eſt, Qui Curios ſimulant, *& Zenonis ſectam augent? Tu quoque grauis, graue ſi illud intones.*

Mentiri neſcio; librum
Si malus eſt, neque laudare, & poſcere.

eſto; ſi ſcriptorē, ſi rem ſcriptam in trutinà expendas; laudabis nec mendacio. Rudiarius *hæc non ſcripſit; ſed qui* Palo adhuc figit vulnera, *quique quod magis mireris.*

Adpoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Impie ſi recotiora petas; vt in pomo non miti acris ille ſapor amatur; Sic in adoleſcentis ſcriptione. Noſce te ipſum quicunque, & retro ad

eam

eam ætatem trahe;cucurbitas pingebas;dormiebas. Qui ergo tam bene orditur huius militiæ Tyrociniũ, cito eum vitis manet.*Complectere modo animo rem:pugnam in Salmanticenſi Theatro argumentis, & rationibus depugnatam breui ſtylo, & eleganter deſcripſit, vt oculis Illuſtriſsimi Excellentiſsimique Principis* don Frãciſci Medicei,*cuius auſpicijs manus conſertum iuit, nec non Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi* Archiepiſcopi Florentini patrui ſui,*quem pariter obſequio, & amore proſequitur,ſubmitteret:non ille famæ ſuæ conſultum hoc libello voluit, neque ipſi votiuum; vt vere, Lector, fatear, tibi probari: placeat Magnatibus illis,ad hoc anhelamus,& ideo hæc ijs veluti in guſtum ingenij ſui dedit;an terreri debuit? audi Satyricum.*

Stulta eſt clementia,cum tot vbique
Vatibus occurras,periture parcere chartæ.

Hoc amplius Lector,ſi ex Bartoliſtarum grege mihi ades, & in obſoletorum interpretum verba iuraſti:aureſq; barbarâ illâ Latinitate obduruiſti,nihil hic tibi,voluptatem nõ capies, imo nec quid ipſe velit; qui in ſedulâ Cuiacij, Duareni,Donelli,Fabrorum, & ſi qui huius

 melio-

melioris commatis lectione verſaris.

Aſpice & hæc, ſi forte aliquid decocti* audis.

Inde vaporatâ Lector mihi ferueat aure.

noſter triuialia communi monetâ haud ſcripſit, ſed electa, & acuta. Hæc audis Lector? ſacilem ergo te præbe. Nouitium hunc in Theatrū literarum prodeuntem, Fœliciter *acclamans plauſu excipe: lauda paratum gratiam referre non modio, ſed horreo toto: Hoc ſi nolis:* Angeronam *reſpice: pergis, & ad calculos ſedes? obtempera ipſe tuæ conſcientiæ, quæ, & ſi ſimulas, vice Tribuni tàm iniquæ actioni intercedit, ſcio. Spernis? I lictor colliga manus; ſed vide ingenuitatem, tempora, & mores nouimus, promptiores ad calumniam, quàm ad veritatem linguæ: vt qui ad portum tendit vētis procelliſque nōnunquam ſollicitatur; ſic inuidiâ, & maledictis qui ad gloriam: noſter* Gallinæ albæ *minime filius in eodem iactabitur æquore, ſi quid laudis captabit, lucro ponet, ſin minus, Poëtam clamantem audiet:*

----- Nec te quæſiueris extra.

Tu modo amiciſsime Americe perge Macte virtute, qui eductus ſemel è carcere inoffenſo pede ad calcē curres, & poſt terga relictis his,

qui

qui graui inuidiæ aculeo puncti oblatrant, gratus Patriæ, parentibus, amicis caput oliuo redimitum in hoc, vbi de fama contentio eſt, ſtadio fores; ſtimulos addet, ſi mentis oculos in patui tui exemplo figes; de quo nihil aliud tibi inſt illo (pene enim factus ſum garrulus) niſi illud Poetæ.

Vulcanus, Luna, Sol, dies, Dij quatuor
Meliorem nullum illuxêre alterum.

libet, & vere addere doctiorem, humaniorem, nobiliorē, ſed tu, Lector, vale, & Momi perſonam exue.

C AD

AD LEGEM CENTVRIO. XV. D. de vulg. & Pupil. ſubſt. Habita repeti-tio.

Ad eandem Præfatio.

Quo didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus,
Innata eſt rupto iecore, exieris caprificus.

LICEAT Mihi auditores mēos (*Illuſtriſsime Rector, Præſes ſapientiſsime, Viri Principes, Patres præſtantiſsimi, necnon Vniuerſi Cariſsimi Condiſcipuli*) liceat mihi inquam auditores meos his verſibus affari, nam vt Athletæ in ſtadio oculos ad metam, & brauium intendunt, ſic fere omnes, qui ſtudijs ſe dedunt ad gloriam. Ne tamen inducatis in animum me adeo Philotimiâ obcæcari, qui putem didiciſſe iam vt illi ipſi, qui apud Perſium verſus illos vſurpant.

O ſtul-

O ſtultus ego ſi putem, & merito clamet quis.

O medici mediam pertundite venam.

Non ego huc prodij apud vos, *Auditores*, vt vel elaborata ſtudia, vel ingenij vires oſtentarem. Sed veluti Aues cum pullos ſuos volatũ docent, antequam per aëra diuagari permittant, paulatim ducunt prius, atque experiuntur; ſic ego mei periculum facere optimũ duxi, vt ſim conſcius quem volatum per largum hoc iuris prudentiæ cœlum explicare queam. Hoc veró vt hîc potiſsimum facerem, vos ſua ſiſtis, *auditores*, veſtrà religione, ac æquitate, huiuſcemodi enim arbitros habere, & gaudeo, & iam diu in votis. Præterea allexit ipſamet Salmanticenſis Vniuerſitas, vno verbo dicam, omnibus numeris abſoluta, in quâ cæteræ omnes velut in ſpeculo, ſuam poſsint aſpicere deformitatem. Quid verò occaſio tanti præſidis? an non ex remotioribus terræ partibus accurrere huc debuiſſem, vt ſub eius patrocinium, hodiernum hoc certamen inirem? Non tanti igitur fuit certare, quàm in hoc theatro certare, talibus arbitris, ac tali Præſide. Reſtat vt vobis explicem quare hunc labo rem meum Illuſtriſsimo Excellentiſsimoque Principi D. D. Franciſco Mediceo ſereniſsimi magni Etruriæ Ducis fratri conſecrauerim. Quid putatis? beneficia, affectus, eiuscomitas, indoles, benignitas, atque natura, quæ

me eius ſubditum,& clientem peperit. Quid? nonne etiam hæc litterarum monumenta ipſi debentur? cuius maiores afflictas eas, ac humi iacentes, vel in perpetuum erexerunt? at vela contraho ne in eius pelagi altum prouehar, vnde ventis quantunuis fauentibus nunquam expediar. Ne igitur conſtitutos terminos excedam pro more Papiniani reſponſum in libro 6. quod Tribonianus in titulo de vulg. & pupil. ſubſt. repoſuit explicandum aggrediar, ſi prius *Sanctiſsimam Trinitatem, Beatiſſimamuè Virginem, vt mihi diuinam, ac propitiam afflet auram*, orauero.

Sileteque, & tacete, atque animum aduertite:

CEnturio filijs, ſi intra quintum, & vigeſimum annum ætatis ſuæ, ſine liberis vita deceſſerint, directò ſubſtituit. Intra quatuordecim annos etiam bona propria filij ſubſtitutus iure comuni capiet: poſt eam autem ætatem ex priuilegio militum patris duntaxat, cum fructibus inuentis in hæreditate.

ERGO Nos in aciem vocat, *Auditores*, robuſtiſsimus quidam ex gente hirſutâ Centurionum armorũ vſu, & contrectatione durus, atque in ipſâ iuris imperitià priuilegio elatus promptior ad enſem,

ſem, quám ad Prætoris ſellam, ſi de iure ſuo ſibi moueatur litigium; is filiolo impuberi, ſi eius vita ad vigeſimum quintum annum non produceretur, conſultũ ſuo teſtamẽto de hærede voluit; ſi tamẽin ijs ipſis tẽporis limitibus abſq; liberis vitali hâc aurâ deſtitueretur. Duo hic maxime aduertẽda; ſi bullatus decedat; ſi ſumptâ virili togã. Illud enim ſi acciderit, hæres qui quaſi, ſuppetias laturus ſecũdo expectat gradu, iure quo quiſq; cẽſetur bona cũ patris; tum filij complectitur. [a] At ſi hoc omiſſo; ſeduló de alio laboremus; firmiter Papiniano adhærendum, qui, & ſi variâ diuerſâque ab authoribus indua tur perſonâ, pure tamen, & vere perceptus nos ad veritatem perducet. Diſcimus ab eo, bona filij extra ſubſtitutionis cauſam eſſe, & paterna tantùm fructuſque inuentos in hæreditate ad ſubſtitutum tendere, ſcilicet militis priuilegio. [b] Cui fas in teſtamentis ſcribere [c].

Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Nefas tamen ijs, ius filij teſtari haud prohibiti, [d] vel tantillum ire diminutũ; antequã tamẽ veluti, Ladas aliquis, aut cum equo ſuo Perſeus præteruolem:

[a] L. ſed ſi plures 10. §. ad ſubſtitutos. ff. de vulg.

[b] Hac l. Centurio. 15. ff. de vulg. l. precibus Cod. de imp. & al. ſubſtitutio.

[c] Principio inſti. de teſt. milib. l. prima. ff. eodem.

[d] L. qua ætate. ff. de teſt.

uolē:quod verē viris,verē doctis haud ſemel impoſuit,libet breuiter, ſed accuratè videre. Quare hanc Centurio noſter ſi ſine liberis conditionem adſcripſerit;& an bene. Accerſit forſitan eos fideicommiſſo ſaltem ad ſucceſsionem?Putarunt nonulli: ſed falluntur. Nullo pacto,auditores, Cēturioni eos ad hæreditatem teſtamento vocare [e]; ſed (quod ingenue fateor) ijs tabulis ius ab inteſtato ſeruare;animus fuit; & laudādus, ſiquidem hoc eodem nomine(caue quiſquis ne aliud credas) prudens Lucij Titij conſilium eruditiſsimo Sceuolæ inter præclara, & prouide perſpecta [f]. An vero bene? Poterit vel nimia militis imperitia, vel nimia verboſitas obiurgari, quem aut latuerit ſe quoque ſilente cēſeri factū [g], aut ſi nouerit quidem, exprimere l tamen animum ſuū maluerit, & in propatulo collocare: & meritò ſi de fideicommiſſo: miles verò rectè hic, vbi ſubſtitutio directa eſt. Sed an hoc verum (haud enim deſunt, qui inficias eunt)è re noſtrâ, & diſputatione erit animaduertere.

[e] Arg. l. ſi quis. 8. ff. ſi quis om. cauſ. teſt. l. fin. §. ſin autem ſub conditione. C. com. de leg. iuncta. l. primæ. Cod. de pactis. rurſus. l. filius. 117. §. cum quis ff. de leg. 1.
Item argu. l. ex facto. 17. §. ex facto. ff. ad Trebell.

[f] A l. Lucius. 85. & ibi Acurſ. in fin. ff. de hæredeb. inſtituendis.

[g] L. cum auus. 101. ff. de cond. & demonſtra.
L. generaliter. §. cum autem. Cod. de inſt. & ſubſtit.
L. cū acutiſsimi. Cod. de fideicom.

Qui negant hos omnes lapides mouent,ſancitū eſſe à Papiniano, & Pom

ponio poſt prætextæ poſitionem fruſtra ſecundas exarari tabulas, & exaratas pubertate finiri [b]; quod falſum, ſi aliter in milite: dictum ab imperatore, veluti ex fideicommiſsi cauſâ valere [i]; ſcriptum à Papiniano capi parentis dũtaxat bona, quod proprium fideicommiſſorũ. Illud eſſe militis priuilegiũ, vt ſubſtitutio alioquin omnino ruitura (vt in Pagano cernitur) fideicõmiſsi fulcro ſuſtineatur. Hæc argumenta, quæ illi putant firma, ſolida: quæ euertere mihi tamen poſſe videor nõ magno niſu. Papinianum in primâ acie cũ ponunt nimium cauillant, fruſtra inquiunt poſt pubertatem fit ſubſtitutio; fateor, ſed à Pagano, & à quocunque, qui communi iuri adſtringatur. Ecce ſecundæ aciei robur Imperatorem; *velut ex fideicommiſſo valet*; pugnantne ſerio an ludunt? videant vt protelem hoc telum; ſi fideicommiſſo ſimilis hæc ſubſtitutio: ergo non ipſum: at bona duntaxat patris capiuntur; O vanum acumen; id propriũ militaris ſubſtitutionis eſſe quis nõ videt? Iam vero quod de priuilegio adducũt, quam non ratum! nonne omnino facilius ex pupillari directâ in directam tranſi-

h l. in pupillari. 14. l. verbis. 7. ff. hoc tit.

i l. precibus. Cod. de im pub. & hac. l. noſtra Cẽturio, & dict. l. precibus.

tranſibit militarem; quam tortuoſis inflexiſque vijs ad fideicommiſſum in vita traducetur? ſed eorum tela quoniá ſatis euitaui, & quidem ſolo amictu, præbeant ſe paulo certiori ferro, nam pro contrariâ, verâque ſententiâ pugnat Papinianus, qui directo factum ex militis priuilegio valere; bona à ſubſtituto capi proponit [l]. Pugnat Imperator fideicommiſſum non eſſe ſcribens, ſed veluti [m]. Pugnat deniq; Summus Pôtifex apertè ſatis, & valide, qui ſemper, dum poteſt, ſubſtitutionem directam accipi vult; & in Pagano poſt pubertatem fideicommiſsi quidem perſonâ indui [n], côtra quos in aciem prodire, niſi Telamonius Aiax, nemo audeat. Verùm quando hic ſe obtulit occaſio, abſque fructu non it, ex nonnullorum animo errorem extirpare, qui profectò altius, quàm par eſſet, radices immiſit. Aiunt ſecundis tabulis à pagano factis vim etiam poſt pubertatē ineſſe quaſi ex fideicōmiſſo ſupeditatam; in hos laqueos Sceuola contruſit, dum factam à Pagano in codicillis directam ſubſtitutionem inflecti ad fideicōmiſſum ait [o]; Vlpianus quoque in cauſâ; nam ſi quis hæredem rogaue rit,

l *Hac. l. noſtra Centurio.*

m *Dict. l. precibus.*

n *Cap. ſi pater de teſtamen. in. 6. cap. Rainuntius extra. de teſt.*

o *l. Sceuola. ff. ad Trebellian.*

rit, vt alium ſibi hæredẽ faciat, ſcribit videri rogaſſe, vt ei hæreditatem reſtitueret p. Tertio præcipites eos Pótifex dedit, cui nefas non aſſentire; ille extra omnem ambigendi anſam pure ait valere vt fideicommiſſum q. Nec mirum ſi facile ijs impoſuerint; bonis humeris erant. Nam Scæuola quid mirum ſi ita cenſuerit? codicilli erant non teſtamentum, vbi ſcripta ſubſtitutio, in quibus nihil directè dari poſſe, vel modice eruditis notum; Quid ergo? ad fideicommiſſum trahendum, idque benignitatis gratiâ, quæ nihil poteſt, cũ de perſonę minus idoneę in teſtaméto imâ cerâ exaratâ loquimur. Iam vero Vlpianus de inutili fideicommiſſo diſſerit, vt ad vtilitatem redigatur. At Põtifex! rectè ille quidem (abſint impij, qui aliter muſsitant) quippé teſtator, qui reſcripto cauſam dedit, quoquomodo Alterocam ſuccedere concupiuerat; quamobrẽ haud ex Antęo hãc ſubſtitutionem progenitam arbitror, quæ vires acquirat, vnde maxime opprimi debuerat. Neque enim I.C[ti]. more Ægyptio ſignis, figuriſque ſane obſcuris nos docuerũt; poſt pubertatem fruſtra ſecundas tabellas dictari; finiri

p *l. ex facto. 17. in princ. ff. ad Trebellia.*

q *Ca. Rainuntius extra de teſt.*

pubertate;euaneſcere; Sed clarē omnino,nec blæſi profectò illi ore rotundo dixêre,ſcripſêre,iuſſêre[r].

r A §. maſculo inſtit. de pup. l.verbis.7. l.in pupillarij.

Sed reuertamur ad Papinianū; quā benè, quàm dilucide hæc omnia,quæ diximus breui illo circo concluſit? ſed & illud(ne quid minutum relinquat) quod à filio abducere ſubſtitutus debeat. *Bona nempe patris cum fructibus inuentis in hæreditate*. Profectò ſi patris hæreditatem! & vnâ fructus ab eodem parente collectos, item pendentes,maturoſque eiuſdem mortis tempore, necnon hæreditate iacente perceptos,quippê hæc omnia hæreditatē augen, habebit[ſ]. Quà propter cum nominatim de fructibus Papinianus conſtituit, nullos alios intellexit, quā eos quos inſtituti hæredis hæredes legitimi ex bonis paternis, antequam ſubſtitutus ad eos admitti poſtularet, collegerunt. Nonne id certum, ſiquidem ij nullo profectò in re iure potirētur[t]? certum quidem; verum, licet iure directo ſubſtitutio valeat, cum tamen veluti ex cauſa fideicōmiſsi ſubſtituto ea concedantur; cui non liberum ſuſpicari eos fructus legitimorū hæredum lucro cedere, quippè qui in reſtitu-

ſ l.qui.ff.ad legem falcidiam.l.ſi fraudator.25.§.proculus.ff. quia in fraudem cred. l.fructus.pendentes.ff. de rei vendi. l.ita tamen.27.§.1. in fine.ff.ad Trebel.

t l.ſecunda.2.§. itē veniunt.§. item non ſolum in fine.ff. ad Trebel.

reſtitutiouem non veniant; vt pote fi- deicõmiſſarij negligentia percepti v; Qui aliter cenſent; ij vero (pax ſit verbo) ligneis, non vitreis vſi ſunt oculis. Declinant hic fere omnes, qui legum interpretandarum munus ſuſcipiunt (abſtineo à Gallis) à Papiniani curriculo, & longè ſe in deuia immittunt indagantes inter cætera, num iura ſepulturum ad hunc noſtrum ſubſtitutum ſpectent; mihi, qui ſciam directam eſſe ſubſtitutionem, integrum non eſt dubitare; ſed an in fideicommiſſariũ tranſeant facit, vt ſim anxius neſcio quis (fraterculus certè Gigantum) dignus.

Vt Cyaræ clauſus ſcopulis, paruaque Seripho.

Vitam omnem traducat; is abſque vllo legũ præſidio (nec erubuit x) niſi tanti ſuam credat opinionem, trãſire, ſed & apud grauatum remanere dictauit; ego ſane id nunquam legi, imò cõtrariũ; ecce Paulum *Reſtituta hæreditate iura ſepulchrorum apud hæredem remanent y*: Imperator verò ea extraneis quidem hæredibus impertitur z, ſed hæredibus, qualis non eſt fideicõmiſſarius a. Hoc magè me vincit; ea hæredis eſſe, quia eſt hæres, quorũ pluralitate nõ diuidũtur, ſed equaliter omniũ eſt vſus b.

v *l. in fideicommiſſariam. 18. ff. ad Trebell.*

x *Auth. de Nupt.*

y *l. ius ſepulchri. 13. Cod. de relig.*

z *l. quia perinde. 42. §. 1. ad Trebell.*

a *§. reſtituta inſtitut. de fideicom. hæred.*

b *l. fundus mihi 31. ff. famil. ercis. l. ſi ſepulchr. Cod. de relig.*

Non ergo poſſunt cadere in reſtitutionem; cum hæredis nomen nunquam vere deponatur [c]. At ſucceſſores qualeſcunque in eo ſcilicet ſepulchro poſſunt recōdi! ex Vlpiano [d] ſane; ſed ſe explicat Vlpianus; bonorum nimirum poſſeſſores, ijque quibus bona ad dicta [e]. Cur tardamus ergo, & de fideicommiſsario fateri? Ego dicam. Prætor quidem hæredem facere nequit [f], ſed cum bonorum poſſeſsionem concedit, nullus alius hæres extat, & ille bonorum poſſeſſor pleno omnino iure hæredum fruitur; ergo & ſepulchrorum. At fideicommiſſarius in multis hæredem repræſentat; non in omnibus; non in hoc certè ſepulchrorum, quia ad hæredem ſpectat, hæres vero ex teſtamento exiſtit.

His alias poteram, & plures ſubnectere cauſas.

Vt vnâ cum Vmbricio apud Iuuenalem receptui canam: ſed iam nobiles video retiarios, qui me rede capturiunt; cuſpidem ergo ſumam, ne me, cur eos fugiam, percontentur.

CA-

c l. qui hærede. 44. §. cum hæredites. ff. de condit. & demonſtr.

d l. vel quod 6. ff. de relig. & ſumpt.

e l. ergo. 4. §. is autem. ff. de fideicom. libert.

f §. Nam prætor inſti. de bonorum poſſeſ.

CAP. PRIMVM.

De pupillaris ſubſtitutionis diffinitione, & diuiſione.

DIFFICILE nauigatu fretum hoc ſubſtitutionum, & decumanis fluctibus exagitatum, fabula pueris, qui ære nondum lauantur, decantata. Mihi, antequam vela explico, diffinitionem, & diuiſionem inueſtigare lubet, ſic Cicero, ſic Ariſtoteles monent. An hic Centurias, imó legiones diffinitionum exponam? apage. Multi ſolent, ego abhorreo: ſed & illud præmonitũ volo.) Noui enim cornea nonnullorũ pręcordia, qui quod non oppoſitũ, nó viſum cenſent.) Vt ij, qui corollam texunt, neglectis reliquis molliores, & alacriores carpũt flores; ſic me, ex multis, quæ ab authoribus dicuntur, quæquê ipſe legi elegantiora ſelegiſſe. At cur authorum longam ſeriem non appoſui? haud mihi libitum; qui hoc faciunt ex muſtaceo Laureolam quærunt: ſed ad rem.

Subſtitutio eſt *ſecũdi hæredis appellatio,*

 ſic

ſic nos docet Caius g, *Inſtitutionem* ſi dicere velimus, authorem Paulum habebimus h. Nec reluctetur animus, quoniam effinxerit Modeſtinus inſtitutionem ſpeciẽ ſubſtitutioni cõtrariam i. Hoc in vſu apud iuris conſultos; potiſſimum apud Modeſtinum. Adoptionem ait, in adoptionem diuidi, & arrogationem l; cognationem quoque, in cognationem, & Agnationem m: abſit hic ſcrupulus, firmũque ſit rectè dici *Inſtitutionem*. Id vſurpat Scæuola n; Id labeo o; id ratiocinantur alij p. Hæres in *ſecundi*, verbo, nec diſsimulas: ſecundus eſt cohæres q, ſecundus hæres à mi lite ex tempore datus r: nec tamen ſubſtitutus. Opple aures, haud iſta admitto: eſt in milite priuilegium, atque ea ex ipſo ſubſtitutio; de cohærede verò negatum non ibo, ſecundum eſſe ordine ſcripturæ, & loco ſ, ſed minime hæc attendimus; verum gradus t: Vellis aurem, & inſuſurras datũ exhæredato ſubſtitutum, haud ſecũdum, ſed primum hæredem eſſe; ergo nec ſubſtitutum: amoue filij curam: ſit paternum teſtamentum in mente; iuxta illud ſecundum eſſe hæredem dabis u. An vlteriore gradu vetitũ? Minime x: vt ſe-

g *Lib. 2. tit. 4.*

h *l. ex facto. 43. §. Lucius. ff. de vulg.*

i *l. 1. ff. hoc tit.*

l *l. 1. ff. de adopt.*

m *l. non facile. 4. ff. de grad.*

n *l. Gallus. 29. in princip̃. ff. de lib. & poſthum.*

o *l. mulier. 20. §. fin. ff. de condit. inſtit.*

p *Arg. legis ſi quis mihi. 25. §. ſed ſi mandauit. ff. de acquir. hæred. l. 1. ff. de hæred. inſtit. iuncta l. 9. §. fi. ff. de lib. & poſthum. l. ſi is qui. 55. ff. de hæred. inſt.*

q *l. ſi is qui. 25. ff. de teſtibus.*

r *l. quærebãtur 19. ff. de milit. teſtamento.*

ſ *l. qui ſoluendo. 6. ff. de hæred. inſtit.*

t *l. 1. hoc tit.*

u *l. penul. in prin. ff. de contra tabul. l. 2. in prin. ff. de hoc. t.*

x *Vlpia. tit. 22. §. penul. l. 1. & l. poteſt. 36 hoc tit. inſtit. de vulg. in princip.*

vt ſecundas, quaſcunque poſt primas, nuptias nuncupamus [z]; ſic hæredem: præcedentis duntaxat: inquit Donellus, ratio habenda: & vt fores opponentibus obcludamus, de hæredis ſubſtitutione nos loqui certum ſit; nec obſtrepant poſſe in fideicommiſsis, & donationibus, & legatis fieri [a]: nobis hęc nota, ſed neglectui habemus.

z l. ſi quis prioris. §. talem Cod. de ſecũd. nup.

a l. vt heredibus 51. ff. de legibus. 2. l. ſi ſponſus. §. ſimili modo. ff. de donat. inter virum l. is cui 10. ff. de donat. cauſa mort. l. ſi legata 6. Cod. de legib.

De diuiſione quid alij ſenſerint; nobis in propatulo; ſed perinde ac ſi in latebris; eorum opiniones non producẽtur, ad ſcammam in has Athletas haud deſcendo; pace, & quiete rem tranſigã, bene vè ſcripſerint, & ſenſerint aliorum ſit iudicium. Ego ad gradus, perſonas, ſcripturã, rẽ redigo: ſumo ſcripturã; quinquè cernes ſubſtitutiones, vulgarem, *ſi hæres non erit* [b]; pupillarẽ; *ſi ante pubertatẽ deceſſerit* [c]: reciprocam; *inuicem ſubſtituo* [d]; militarem, vel compendio factam: *Quandocunque deceſſerit* [e]; Iuſtinianeam, *ſi filius in furore deceſſerit* [f].

b l. 1. hoc tit.

c l. 2. ff. hoc tit.

d l. 4. §. 2. ff. eod.

e l. Centurio. 15. eod. l. precibus. Cod. de impub.

f l. humanitatis 9. eod. tit.

Perſonas vide: duas amputabis, & erunt duntaxat vulgaris, quæ cunctis, pupillaris, quæ impuberibus liberis; Iuſtinianea, quę furioſis fit.

Sed ſi ſucceſsionis gradus reputemus, qui duo ſunt; *ſi hæres nõ erit*. Alter. *ſi hæ-*

ſi hæres erit, & ante pubertatem deceſſerit [g]; duas quoque tantummodo ſubſtitutiones vulgarem ſcilicet, & pupillarem extare contendimus [h]: & merito, nec enim plures Caius [i], quo nolim ego plus ſapere.

Quid hæ differant, ſcire aues? vulgaris vnicuique ſui copiam facit [l]; pupillaris parentibus, habe; tantùm, cum impuberibus liberis hæredem facere volũt [m]. Illã duodecim tabulæ, hãc mores introduxêre [n]. Huius meta, pubertas [o]; Illi [p], hæreditatis aditio [p]. Illa nobis. Altera filio teſtamẽtũ exaramus [q].

Fieri poſſunt hæ ſubſtitutiones, cũ legitimis tùm precarijs verbis, hinc tradita occaſio diuiſionis in directam, & obliquã, cui vulgo acclamatur. Diuiſiones, diffinitionemquè habes; perge modo ad reliqua.

[g] *d.l. precibus. d. l. 1. & 2.*
[h] *l. cum ex filio. 39. §. filio. ff. hoc tit.*
[i] *Lib. 2. inſt. tit. 4.*
[l] *Princ. inſtit. de vulg.*
[m] *l. 2. ff. hoc tit. princip. inſtit. de pup.*
[n] *l. verbis. 120. ff. de verb. ſignif. d. l. 2.*
[o] *§. maſculo. inſt. de pupil. l. verbis. 7. l. in pupillari. ff. d. ti.*
[p] *Princ. inſt. de vulg.*
[q] *dict. princ. & §. literis.*

CAPVT: II.

Subſtitutionem moribus introductam ipſo iure ob patriam poteſtatem; filijs duntaxat impuberibus fieri.

TEſtamentum ex eo dicitur, quòd teſtatio mentis ſit [r]; *Eſt enim voluntatis noſtræ*

[r] *Inſt. de teſt. in princ.*

noſtræ iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortẽ ſuam fieri vult [ſ]; deſiderat igitur animi iudicium [t], quod cum non ſit in impuberibus, non eſt ijs teſtari datum [v], an ergo inteſtati morientur? ita quidem ſi patre careant; ſin minus, quoniã moribus Romanorum latum eſt, & inueteratum patres ſummo in filios imperio potiri [x], ijs quoque effectum eſt, vt ipſimet parentes impuberibus condere queant teſtamẽtum [z]; Idquè iure ſummo; an non poſsit hæredem filio dare, qui filium, & vendere, & occidere poterat, ſi libuerat [a]? Quamobrem rideo, qui priuilegio factũ dictitant; & nihil magis iuris regulis, vel ſi mauelis, rigori conſonans agnoſco, idquè à moribus in medium allatum [b]; moribus? ſume duodecim tabulas; perlege. *Pater familias vti legaſsit ſuæ rei ita ius eſto* [c]. Filij res patris dicuntur [d], ergo ea verba, & ſubſtitutionem pupillarem cõplectuntur: preme adhuc: audi Romulum. *Parentibus in liberos omne ius eſto:* Hæc lex ſcripta eſt; hinc patria poteſtas, ex hac pupillaris ſubſtitutio, nõ ergo ex moribus; ſiſte, nec te falſa hæc veritatis effigies delectet. Nam duodecim tabulę laxant quidem habenas, &

ſ *l. 1. ff. qui teſtam. fac. poſsit.*

t *d l. 2. ff. de inoff. teſt. l. is cui lege 18. l. qui teſtamento 20. §. Ne furioſus. ff. de teſtibus.*

v *§. præterea teſtamen. inſt. quib. nõ eſt permiſſum, lege qua ætate. 5. ff. d. teſtibus.*

x *l. patre furioſo. 8. ff. de ijs qui ſunt ſui, &c.*

z *l. moribus. 2. ff. hoc titu. princip. inſtit. de pupill.*

a *l. fin. Cod. de patr. poteſt. l. in ſuis. ff. de lib. & poſth. l. 12. tabul. & l. Romuli.*

b *Inſtit. de pupil.*

c *l. verbis legis. 120. ff. de verſig.*

d *l. 1. §. per hanc ff. de rei vendic.*

patri concedunt de ſuis rebus, & rerũ ſuarũ tutelã pro libitu ſtatuere e; Ideò filio tutorem dat f; ſed hæredem non dat, quia res filij eſſet habiturus, de quibus duodecim tabulæ ne verbum quidem, Romulum vero tantùm indulſiſſe parentibus non ambigo, imò prima illa tempora ſi ſpectes, Aio lege Romanis patriam poteſtatem inductam; ſed reuoca in animum legem Tribunitiã, qua exactis Regibus cæteræ leges exoleuerunt g, igitur & illa de patriâ poteſtate. Quid ergo? cœpit populus Romanus in certo magis iure, & conſuetudine ali, quam perlatam legem, & hac patria poteſtas retenta. Rectè igitur moribus inductã dixit Vlpianus, licet decem viri tractu tẽporis in duodecim tabulis hoc ius inſculpſerint. Abſintqui moribus Lacedæmoniorũ hoc tribuunt, à quibus petitum ius nõ ſcriptum teſtatur Iuſtinianus h; quaſi vero Romani, & ſi iure nõ ſcripto vti à Lacedemonijs didicerint, nequeant tamen plura moribus obſeruare, quibus illi careant. Quid hinc? nimirũ ſubſtitutionem moribus Romanorum editam ob patriam poteſtatem. Ergo liberis tantummodo facienda. Quidni? cũ

e *l. ſæpe iſta ſibi ſuper pecunia. ff. de verb. ſignifica.*

f *l. 1. ff. de teſt. tut.*

g *l. ii. §. exactis deinde regibus. ff. de orig. iur.*

h *§. & non ineleganter inſtit. de iur. nat.*

in

in eos duntaxàt imperium patriæ poteſtatis exercere poſſimus ? obliquis Pol verbis & adultis, & non filijs fieri ſcio [i]; ſed nos de directâ, quæ fortaſſe, ſi pupillares tabulas alterutrius teſtamentum eſſe volumus, nutabit. Si patris, cui permiſſum de alienis bonis teſtari [l] ? ſi filij, qui ex alieno pendet arbitrio [m] ? Sed firma eſt, nec vacillat; Pupillaris ſubſtitutio dicitur quidem interdum teſtamẽtum filij, re verâ idem ac parentis eſt [n]; non ergo ex alieno pẽdet arbitrio. Patri vero lege datum, de impuberis filij alias abſque hærede deceſſuri bonis quaſi in ſubſidium diſponere. Huic qui cenſor eſt, legem cenſet. An non daret ei, qui ſummam ſibi in filium poteſtatem aſſerit, obquã decius tutela diſponit ? haud potuit (inquient mores,) lex [o], quippè contra bonos honeſtatem, publicam vtilitatem ſit; nonne ſubſtituti ſemper in ſubſeſſis erunt ad pupillum è medio tollendum ? fiat in imâ cerâ, obuoluatur lino, nec ſaluantur tabellæ, niſi poſitâ prætextâ; hoc Caij conſilium [p]; ſed nõ vſque quaque ſufficiens, nam viuentis pupilli hæreditas venditur [q]. Nos vero non.

i l. ex facto. 17. in prin ff. ad Trebell.

l l. cõtra l. cõficiuntur §. 1. ff. de iur. concil. auth. ingreſſi Cod. de ſacroſanct. eccleſ.

m l. illa inſtitutio. ff. de hæred. inſtit. l. 1. ff. de teſt.

n l. 2. §. prius. ff. hoc ti. l. in ratione. §. ſi filio iur. vt enim. ff. ad l. falſid. §. igitur inſt. de pupil.

o Cap. erit autem lex diſt. 4.

p §. ſin autem qui ita formidoloſus inſtit. de pupil. Caius. lib. 2. inſt. cap. 4. §. pupillaris.

q l. 2. §. illud. ff. de hæredibus vel act. vend.

Obtuſa adeò geſtamus pectora Pœni:
Vt neſciamus hoc falſum; Pomponium cito[r], *ſi hæreditas venierit eius qui vivit, aut nullus ſit, nihil eſſe acti, quia in rerũ natura non ſit, quod venierit*. Sed & ipſius Vlpiani verba ventilo. *Planè ſi hoc actum ſit, dicendum erit etiam impuberis hæreditatẽ in venditionem venire: maxime ſi iam delata impuberis hæreditas eſt.* Nullo igitur in periculo pupillus, delatâ iam hæreditate. Timemus nobis ab illo verbo, *maxime*? iniuria: nihil profectò tam noſtrum, hoc enim loci vel ex elegantiâ, additum, vt Acurſius [ſ]vult, vel hæreditatem delatã eſſe neceſſum oſtendit; haud á iuris conſultis alienum accipe Iuſtiniani exemplum. *Sancimus, & in huiuſmodi caſu conſultiſsimi Principis locum habere conſtitutionem, & cum modis omnibus admittendum eſſe cenſemus, maxime cum ex voluntate creditorum hæc interponitur. Nolentibus enim creditoribus admitti talem pactionem nullo modo concedimus*[t]. Hæc vera ſunt; qui obſiſtunt, meras nugas blatunt.

[r] *l. 1. ff. de hæred. vel act. vend.*

[ſ] *d. l. 2. §. illud potest ver. maxime.*

[t] *l. fin. autem el ĩ. cod. de test. manumiſ.*

CAPVT

CAPVT. III.

Finiri pubertate hanc ſubſtitutionem incœpto vltimo decimiquarti anni die, nec vltra valere, nec fidei commiſſi quidem iure.

DE origine iſta: quid de termino, & metâ? certe eadem, ac tempori, quo clauditur pubertas: moribus inſtitutũ eſſe, vt cum eius ætatis filij ſint, in quâ ſibi teſtamentum facere non poſſunt parentes ei faciant [u], ſupra diſertum. Facultatem teſtandi pubertas affert [x]: auferet eadem parentibus pupillariter ſubſtituẽdi [z]; hæc in breui duodecim annorum, ſi fœmina, quatuordecim ſi mas, circulo clauditur [a]; hæc ſepta non trãſilit; imò & poſtremum diem cum tetigerit, liberum habet, & ijs teſtari datum [b]; igitur & eo die ſoluitur ſubſtitutio vnâ cum ſubſtituendi cauſâ. Moroſi nimium, imò & imperiti, qui Imperatorem, dum decimũquartum annum *exceſsiſſe* requirit, neſciunt diſputationi noſtræ accõmodare *exceſsiſſe*

[u] *Princip. inſtit. de pupill. verſic. non moribus.*
[x] *l. quia ætate. ff. à teſtibus.*
[z] *§. maſculus inſtit. de pupill.*
[a] *l. vltima. Cod. quando tut. vel cur. eſſe det. princip. inſtit. quibus modis tut. finiat.*
[b] *l. qua ætate. l. adigere. 8. §. quamuis. ff. de iure patro. l. liberorum 11. §. 1. ff. de his, qui not. inf.*

c *Dicto.§.maſculo.*

d *l.ſi frat.4.l. qui teſt.*

e *l.ſi vſucapionibus.ff. de vſucap. l. Anriculus de verb.ſignific.*

f *l.verbis.7.in l. in pupillari.14. ff. de vulg. §.penult.inſt. de pupil.*

dixit c; tu tetigiſſe intellige: idem in *Diocletiano ſace* d; quem natura incœpit diem, hominis intellectus in hac arte completum interpretatur e. Pubertate itaque, hoc eſt, ſimul ac vltimus decimiquarti anni dies ingruat, finitur, euaneſcit f. Quid ſi in longius tempus teſtametum filij pater produxerit? an ſaltem iure fideicommiſsi efficax erit? Vtrinque acriter pugnatur; ego pro ijs, qui inficiatum eunt mucronē ſtringo; & Aio ſubſtitutionem, quæ lógius tempus complectitur valere vſque ad decimum quartum annum (vt qui ſciá vtile haud infici vitio per inutile g) poſt id vero tempus haberi, ac ſi omnino facta non eſſet. Ad partes voco Papinianum. *Verbis ciuilibus ſubſtitutionem poſt decimumquartum annum ætatis fruſtra fieri conuenit* h Pōponium *In Pupillari ſubſtitutione, licet longius tempus comprehenſum fuerit, tamen finietur ſubſtitutio pubertate* i Iuſtinianum *Maſculo igitur vſque ad quatuordecim annos ſubſtitui poteſt, fœminæ vſque ad duodecim annos, & ſi hoc tempus exceſſerint ſubſtitutio euaneſcit* l. Nec euaneſceret, finiretur fruſtrave fieret, ſi lapſo eo tempore, veluti fideicommiſſum ſtaret adhuc. Contemplor patria poteſtate nul

g *l. 1. §. penult. ff. de verb.obligat.l.vſuras.20.l.placuit.29. ff. de vſuris.*

h *dict.l.verbis.*

i *Dict.l.in pupillari.*

l *Dict.§.maſculo.*

lam

lam ob aliam cauſam, id ſibi parentes vendicare, niſi pupillorum fauore, qui ſibi hæredem ſcribere nequeunt [m], cur eos proprio gladio iugulamus [n]? cur (quod nemini licet [o]) filiorum ius imminui vltra legem parentibus damus. Addo, & hanc appēdiculam; duo contraria in eodem (vt inquiunt) ſubiecto, nec philoſophus vllus nec iuris peritus potis vnquam fuit iungere [p]; ergo nec in vna ſubſtitutione ius directum, & obliquum, qui ſunt diuerſi, & contrarij ad hæreditatem tramites [q]; quo duplici iure, eoque diſcrepante valere eam nunquam flectar, vt exiſtimem [r], quippe verba fideicōmiſsi deſiderem, ſine quibus haud dabo reperiri fideicommiſſum [ſ]. In teſtatoris voto id non fuiſſe authumo, qui directum hæredem facere eſt arbitratus [t], & onere hæredem leuare malo, quam premere [v]. Verba captas, inquiunt, voluntatem negligis [x]; ſcis optaſſe teſtatorem extincto impubere omnia bona ſubſtituto cedere [z], negabis eūdem voluiſſe, pubertate incepta ſaltem ſuis proprijs ſubſtitutum potiri? Quid ni negem, ſi deſunt coniecturæ [a]? nec patiatur ambiguitas, cum ſubſtitutio pupilli

m *§. 1. princip. inſtit. de pupill.*

n *l. 1. quod fauore. Cod. de leg.*

o *l. cum filius. 29. ff. de milit. teſt.*

p *l. 1. Cod. de furt.*

q *l. fin. Cod. de codicill.*

r *argumento legis eum qui. 23. ff. de vſucap.*

ſ *Vlp. in fragm. ti. 25. l. quidem cum filio. ff. de hæred. inſtit.*

t *l. 1. ff. de iur. codicil. l. illud. §. tractari. dicto tit. l. cohæredi. §. cum filio. verſic. qui ita locum haben. ff. hoc titu. l. fin. §. illud. Cod. de codicil.*

v *Iuncta. l. vnus in familia. §. Rem. ff. de leg. 2. leg. Titia. 34. §. inuita. l. vnum ex familia. 67. §. ſi rem. ff eo tit.*

x *Contra l. 2. Cod. commun. de leg. l. pater ſeuerinam. 102. l. in conditionibus. ff. de cond. & demonſtra. l. 3. Cod. de lib. præter. l. 62. ff. de leg. 2.*

z *l. ſed ſi plures. 10. §. ad ſubſtitutos hoc tit.*

a *l. quidam cum filio. ff. de hæred. inſtit.*

pilli ſit fauor [b], fideicommiſſum vero grauamen [c]; ſuffragij calculum in eum ferri [d]? Nec me ex ſecurâ hâc ſtatione deijcient libertatis exempla â Iuliano, Vlpianoquè mutuata. Ait ille. *Et ideò licet directæ libertates deficiunt, attamen ad fideicommiſſarias eundum eſt* [e]. Quid hinc? nempe cum deſiderio tenemur emittendi ſeruum, cui directa libertas dari nequit, dãdam (quod poſſumus [f]) obliquam. Si quid hoc nos pungit, oculũ mihi, vt cum Comico dicam; excludito: patiar; alter vero noſtris ſubijcit oculis duplicem ſpeciem, in quâ libertas directo data ad fideicommiſſariam deuoluitur. Ait. *Quãuis ſi ſponte adiſſet cogeretur præſtare fideicommiſſariam libertatẽ* [g]. libro autem quinto fideicõmiſſorum ſubdit. *Si quis ſeruo pignorato directam libertatem dederit, licet videatur iure ſubtili inutiliter reliquiſſe: attamen quaſi ex fideicommiſſaria libertate relictâ ſeruus petere poteſt, vt ex fideicommiſſo liber fiat* [h]. Sed ne diu in errore vos detineam, libet, & verba referre ibidem ab eodem Vlpiano ſubſcripta. *Fauor enim libertatis ſuadet*. & infra. *Nec enim ignotum eſt, quod multa contra iuris rigorem pro libertate ſint conſtituta.* Nõ idem fauor in ſubſtitutionibus: adde quod

b *l. pupillus. 18. ff. de acqui. hæred.*
c *l. cohæredibus. 39. §. cum filiæ. ff. de vulg.*
d *Iuxta l. ſi quod fauorem Cod. de legibus.*
e *l. ſi ei qui 2. §. codici. ff. de iur. codicil.*
f *l. libertas. 17. ff. de fideic. libert.*
g *l. Lupi. 16. §. ſed ſi ſeruo. ff. ad Trebell.*
h *l. generaliter. 24. §. ſi quis ſeruo. ff. de fideic. libert.*

quod ſuperiori caſu neceſſe id fuit, vt voluntas in reſtituendâ hæreditate teſtatoris adimpleretur: ſeruo reſtitui nequit, nec capax ibi directæ libertatis ſeruus: ergo in fideicommiſſariâ refugium. Nec obeſt, quod nos arctius mordere videtur, ex Scæuolæ ſententiâ pupillarem directo factam in codicillis ad obliquã perduci [i]. Sano enim cuique cognitum, benignâ interpretatione receptum, vt quidquid directo in codicillis relinquitur precariò relictum eſſe videatur. Haud licet hoc ad ſubſtitutionem teſtamẽto ei perſonæ, cui non potuit, factam trãsferre; in eo, quod directo ſcriptum eſt, haud obliquatur. Nec ſi potuit teſtator anguſtiores ſubſtitutioni aſsignare limites, & cancellos [l], idem & latiores, laxioreſque: ſubſtitutioné, vel omnino omittere, in eius arbitrio, longius autẽ tempus aſsignare, id vero nefas; & ſi hodie Pontificum indulgentiâ contendunt nonnulli laxatum in teſtamento Raynũtij, in quo Alterocham, eiuſque ſobolem Adiectę ſubſtituit [m]. Verum nũquam, quod viderim exprimitur, ibi directo factam eſſe ſubſtitutioné, ſed verbo duntaxat communi ſuccedẽdi,

i l. Scæuola. ff. ad Trebellian.

l l. ſi ita quis. 21. ff. hoc tit.

m Cap. Raynuntius extra de teſt.

quod quid mirum, ſivè obliquum ac-cipiatur? Nec titubet quis ſi videat Innocentium Summum Pontificem directam ſubſtitutionem ad fideicommiſſariam non nunquam trahentē;[n] nam non crebro, neque ex more, vſuque; Gloſſa[o] annuit cum exemplo directæ militaris , in quâ tamen fallitur, & directæ in codicillis factæ vtitur. Secús qui putant lapidem mordent. Ego aliud ſaxum voluam.

n Cap. 1. de teſt.

o Dict. cap.

CAPVT IIII.

Nullis poſſe fieri, qui in poteſtate non ſint; recaſuris verò in alienam, neque à milite quidem fieri.

NOSTRO Imperio ſubijciũt liberos iuſtæ Nuptiæ[a], & Adoptio[b]: ijs ergo pupillares tabulas exarare noſtri iuris eſt[c]; nã ex patria poteſtate eſt hæc facultas. Quamquã haud deſint Nugipolyloquides, qui ſe legiſſe clamitãt, Matrem & pupillariter filijs ſubſtituere[d]; & tutorem, ijs ſubſtitutis dare[e]; quod

a Princip. inſt. de patr. poteſt. §. penul. inſt. de nup. l. ita in poteſtate. 9. l. ſeq. ff. de his qui ſunt ſui, & c. l. Paulus. ff. de ſtat. hom.

b Dict. l. 1. 2. 3. 4. ff. de adopt. l. 1. Cod. eod. princ. inſtit. eod.

c l. 2. l. ſed ſi plures. 10. §. in arrogato. ff. de vulg. & pupil. ſubſt.

d l. ſi mater. 33. ff. hoc tit.

e l. 1. Cod. de teſt. tut.

quod niſi ij, qui ius patriæ poteſtatis habent, non poſſunt f. Cui tamen ignotum huius poteſtatis matrem expertē? Ipſemet pater poſthumo hęredem ſcribit g. Poſthumus vero huic poteſtatis iugo colla haud vnquam ſubmittit; prius Lacheſis parentis ſtamē incidit, quam matris ventrem Lucina, in quo dū tranſigit, matris eſt portio h. Præter voces hic, nihil; cōmodum poſthumi eſt hæredem habere, & eum igitur natum leges ducunt i, deduc. & in patris poteſtate: redi modo ad matrem; tutorē illa dat inſtitutis, ſed adde hūc Præſidū cōfirmatione egere; negatio quædā, quę in imperatoris reſcripto adeſt, magna eſt, inquies, remora; vide Cuiaciū, vide emēdatos Codices; ſpōgia debilis lingua deberet, qui appinxit. De ſentētia autē Africani, ſic habe, loqui eū de vulgari, non autē pupillari ſubſtitutione. At pupillarium tabularū mentio? Non quidem nos deſtinet, habet ea effigiem pupillaris, quippè filius nō inſtituitur niſi poſt decimumquartum annum: At verè pupillaris non eſt, patria ergo poteſtas neceſſaria. Non obſtat exhæredatis in ſecundam caſum ſubſtitui l, quos ac ex poteſtate depulſos,

f §. præmiſſum inſt. de tutel.

g l. 2. ff. hoc tit. §. 4. inſtit. de pup.

h l. 1. §. ex hoc reſcripto. ff. de vent. inſp.

i l. qui in vtero. 7. ff. de ſtatum. l. intelligendus ff. de verb. ſig.

l §. non ſolum. inſtit. de pupill. l. 1. §. fin. l. ſi is, qui ex bonis. 6. l. ſed ſi plures. 10. §. ad ſubſtitutus. ff. hoc tit.

ſos, emancipatoſvé videri teſtatur Vl-
pianus [m]. Recte videri; nam & ſi mor-
tuus quoad ſucceſsionem céſeatur ex-
hæredatus, non tamen quoad patriam
poteſtatem, licet emancipato adſimile-
tur, cum in eum danda actio eſt de eo,
quod ante exheredationem geſsit. Vi-
cto hoc prælio, vide quam late diffun-
datur præda: Extraneis dari hæredem
vetitum eſſe [n]. An & naturalibus? ij
quidem in patriâ poteſtate non ſunt [o];
ſed tamen Paulus ſecũdas ipſis tabulas
poſſe à parente cõſcribi aſſeuerat [p]. Fa-
bulæ. nihil vnquam tale Paulus, nec
vel reperies [q], vel tanquam à ſcioli cu-
iuſpiã infauſta, & infeſta manu ſuppo-
ſitum expungẽdum. Ergo nec ipſis hæ-
res à patre; nec emancipatis profecto,
niſi à milite obſtrepũt [r]? inepta ſuſur-
ratio; at Triphoninus pedem firmat: ſi
quidem de militari loquamur; quid?
exhæredatum filium proponit: nil ta-
le: ſe pone verbum, *exheredato*, & ſupe-
riori adſve orationi, ſcripturam ſic cõ
ficies rectam, & ſententiam; ſequere.
Nec nepotibus in alienam poteſtatem
recaſuris: cur, in quies, cum impubes,
& in poteſtate ſit? quia alia cauſa ipſi
non teſtandi, quam impubertas; ne m-
pe ſi-

m *l. 1. §. ſed ſi patruus eorum. l. 2. ff. quod cum eo.*

n *§. vlt. inſt. de pup.*

o *§. penul. inſt. de nup.*

p *l. Lucius. 95. §. aliter. ff. hoc tit.*

q *l. 2. hoc tit.*

r *l. miles ita. 91. §. penult. ff. de milit. teſt.*

pe filium familiâs eſſe *ſ*. At pater, quẽ natura dedit, pupillo in adrogationem dato ſubſtituit, eoque longè à pubertate mortuo ſubſtitutus admittitur *t*; cum tamen pupilli paternum dominium adrogator ſibi iure adſcribat. Quidni ſubſtituat, & vtiliter? pubertas & adrogatoris fides id faciunt: illa quia tardius morte; hæc quia morte pubertatem præuertente adrogati bona ſe iis reſtiturũ cauet, ad quos nullâ factâ adrogatione perueniſſent *v*. Sed minora hæc, & tenuioris filij; illud difficile, quo ſcilicet tẽpore filij in poteſtate eſſe debeat; paternæ mortis dũtaxat maxime probabile; ſi quidem teſtamentum ab eo tempore incipit; ante enim filio haud permiſſum teſtamẽtum habere: ſed & expendamus Vlpianum. *Si extraneum quis impuberem hæredem ſcripſerit, poterit ei ſubſtituere, ſi modo eum in locum nepotis adoptauerit, vel adrogauerit filio præcedente x*. Sufficit poſt factam ſubſtitutionem adrogari extraneum; ergo tempore facti teſtamenti, num in poteſtate fuerit, haud curandum. Papinianum quoque examinemus. *Cum filio, vel nepoti, qui locum filij tenuit, vel poſt teſtamentum cæpit tenere y*. Poſt teſtamentũ? quid

ſ Princip. inſtit. quibus nõ eſt permiſſũ fac. teſt. l. qui in poteſtate. 8. ff. eod. l. penul. Cod. eod. §. primo inſtit. per quas perſ. cuique, &c.

t l. cauſa. 90. huc tit.

v l. non aliter. ff. de adop. §. cum autem impoſuit. 60.

x l. 2. §. ſed ſi extraneum ff. hoc tit.

y l. cohæredi. 41. §. cum filio. hoc tit.

quid igitur tempore teſtamenti pote-ſtatem moroſi requirimus? Hac in naui transfretare Bartolus cupit, ſed contra torrentem brachia derigit: Audi: *Si quis ex his mortis quoque tempore non fuit in familia ſubſtitutio pupillaris fit irrita* [z]. Dicimus, quoque, & aliud igitur tẽpus: quale profecto niſi teſtamenti facti? *Id duobus temporibus inſpicitur, teſtamenti facti* (inquit Florentinus [a]) *vt conſtiterit inſtitutio, & mortis teſtatoris, vt effectum habeat*; Papinianus autem aliò eum impellet, ac ire putat. Nepos enim de quo Iuriſconſultus, ſemper in poteſtate fuit, & ſi non ſemper patris locum tenuerit. Nec ab Vlpiano ſecundus flatus, qui haud contendit ante adrogationẽ datum hęredem, ſed adrogatione ſecutâ. Nemo ex interuallo ſubſtituere prohibetur [b], debuit ſanè Bartolus Vlpianũ ex iure interpretari [c], eamquè accipere explicationem, quę vitio careret [d]: Contempſit, ad arenas allidit, at qui habet filius patre viuo teſtamentum? ſane non habeat, vt tamẽ eo mortuo habeat, dum pater illud exarat, filius in poteſtate ſit neceſſe eſt. Quare conſiliũ, vt gladiatores, in arena capiamus, & deſti-

z l. cohaeredi. 41. dicto §. cum filiae.

a l. ſi alienum. 49. ff. de hered. inſtit.

b l. ſi quis eum. §. vlt. ff. de vulg.

c l. 6. ff. de ſolut.

d l. in ambigua. ff. de legibus.

& deſtituto Bartolo portum petamus; nam

Furor eſt poſt omnia perdere naulum.

CAPVT. V.

Patrem neceſſe habere nominatim inſtituto, vel exhæredato filio, iuſtũ, & ſolemne ſibi condere teſtamentum.

INSTANTI modo diſcrimen haud paruum inter caligatos homines, ac togatos. Plura his imminent; illis pauciora. Quid hæc? Togatus haud filio dabit ſucceſſorem, ſi ſibi prius iuſto, ſolemniuê teſtamento non ſignauerit [a]: filij teſtamẽtum dicitur, paterni teſtamenti appendix, ſequela, pars, ſecundæ tabulæ [b]. Quî ergo extent, ni præeat, quod primas tenet? Caret his moleſtijs caligatus; filio hæredem ſcribit, tamen ſi ſibi non ſcribat [c]. Datum hoc enſi, & ferro, datum imperitiæ [d]. At noſter Paganus mirum quas in anguſtias trudatur. Ni teſtamentum effectu comprobatum; ni prius hæredem ſibi

a l. 2. §. quiſquis. ff. hoc tit.

b §. Liberis inſtit. de pup. l. ſed ſi plures. 10. §. ex aſſe. ff. hoc tit.

c l. 2. §. quiſquis. ff. hoc tit. l. in fraudem. 15. §. penult. l. Miles. 41. §. fin. ff. eod.

d Princip. inſt. de Milit. teſt. l. 1. ff. eod.

ſibi ſcribat, ni filium nominatim inſti-
tuat, vel vt oportet exheredet; aquam
ingerit in cribro [e]. Sunt qui laxiores
ei vinculorũ cõpagines indulgeant; re
mittunt expreſſam inſtitutionem taci
tâ contenti, ſecuri Vlpiani, & Scæuo-
læ ſuffragio, quibus hæc verba *Si filius
hæres non erit* ſatis ſuperque ſunt [f]. Ex-
heredationem pellunt, vt qui exhere-
dato ſubſtitutionem fieri poſſe nõ pro
bent; ea eſt ſecunda inſtitutio [g]: ergo
inſtituto tantùm facienda: ſurdo fabu
lam narrant: nonne rectè ſecunda inſti
tutio dicetur, ſi alter prius fuerit inſti-
tutus? Exheredandus igitur filius. Alio
quin ſi obliuioni mandetur, inteſtatus
decedet parens; obtritaque manebit
ſubſtitutio more animæ, vt inquit Sa-
tyricus [h]. At de inſtitutione errant, ſi
calculos illorum Iuriſconſultorũ ha-
bere putant; ex conditione haud vn-
quam ſurgit inſtitutio. Ergo ad has iu-
ris aras libaſſe ſaltem, mõſtremus; ad
quas cum libaſſent ij Iuriſconſulti, in-
ſtitutionem ritè factam cenſuiſſe eos,
noſtrum eſt exiſtimare; vel in foſſam
decidere. Hæc nunquam à Pagano
amouẽda; ſed & ſtrictores imminent

angu-

e *dict. l. 2. §. quiſquis. §. prius autem. §. ſed ſi eos patres. ff. hoc tit.*

f *ex facto. 19. l. ſi quis ita hæres 82. ff. de hæred. l. 3. §. ſi libertus ff. de bonis libert. l. Gallus in princip. ff. de liberis, & poſt.*

g *l. ex facto. 43. §. Lucius. ff. hoc tit.*

h *Princip. inſtit. de exhæred. lib. inter trigeſima. ff. de lib. & poſth.*

anguſtiæ, infunde in animum hæc Iuriſconſulti. *Prius autem ſibi quis debet hæredem ſcribere, deinde filio ſubſtituere, & non conuertere ordinem ſcripturæ. Cæterum ſi ante filio deinde ſibi teſtamentum faciat non valere* [i]. Video quid hæreas: nempe ea verba eiuſdem Iuriſconſulti ruminas; quibus ſibimet clauum inijcit, & oblitus ſuperioris ſententiæ ait probari, licet conuerſa ſcriptura filio prius teſtamẽtum fecerit [l]. Hîc tempora digito ſcalpenda, rodendi vnges, cædendus pluteus, & merito. Non conſtat ſibi Vlpianus? difficiliores ſe præbent authores in eo vel excuſando, vel explicando. Inquit Vlpianus eam ſententiam reſcripto Imperatoris ad Luppũ Britãnię Pręſidem *comprobatam, improbatam* Legit Goueanus opinionibus cũctorum ad rubram lineam examinatis [m]: Vtinam tàm verè, quã idoneè. Sed Accurſius conuerti ordinem, ſi exheredato ſubſtituatur, ait haud oportere; vt & nihil referre, ſi inſtituto. Deſiderant hic vniuerſi rationẽ, & ſuppetitias fert Donellus [n]; Quia nempe ipſamet pupillaris clauſula, quum inſtituto fit, inſtitutũ eſſe demõſtrat: adhęret Cuiacius [o]. Sub alioquoque Accurſij vexillo doctiſſimus, cui.

G Et

i *l. 2. §. prius. ff. hoc tit.*

l *dict. l. 2. §. ſed ſi quis ita.*

m *lib. 1. vari. cap. 8.*

n *lib. 6. Cõment. cap. 25. verb. ſolemne in fine.*

o *in dict. l. 2. dict. §. Prius.*

Et melior luto finxit præcordia Titan

Ioannes de Solorçano militatur, ſentitque ordinem ſpectari, quum diuerſis ſeparatiſque clauſulis ſibi filiove hæredem ſcribat; ſi vero vno orationis filo ambobus teſtamentũ faciat, poſthabendum, velut in cõiunctis[p]. Quid Duaren[9] pete à Pichardo[q]; dicet, dogma firmũ, & ſtabile eſſe, prius ſibi deinde filio faciendum eſſe teſtamẽtum; ſed & exceptionem adiunget. Exceptio ea eſt, ſi eodem tempore iiſdẽque tabulis teſtamentum vtrumquè fiat. Cui plaudam quæris? dicere non lubet, quia non liquet.

Quid fruſtra de his, quid inanibus obſtrepitis? Clamatur à tergo; quaſiveto illud requiratur à parente ſibi teſtamẽtum fieri: quis neſcit paria eſſe nullũ fieri teſtamentũ; vel rũpi irritumvê declarari[r]? Et tamẽ ſcim[o], vel nõ aditione, vel filij præteritione, vel bonorum poſſeſsionis petitione infirmato teſtamẽto, vireſcere adhuc ſecũdas tabulas, & manere inconcuſſas, inafflictaſque. Haud dictis fides? Excipite auribus Vlpianũ. *Plane ſi omiſſa cauſa principalis teſtamẽti abinteſtato poſſideatur hæreditas dicendũ eſt & pupillo ſubſtitutũ ſeruãdũ*[ſ]. Sed & Afri

cano

p *l. quidam cum teſtamentum. ff. de pup.*
q *in §. liberis. num. 15. inſtit. de pup.*

r *§. primo. inſtit. de hæredibus. qui ab inteſt. l. l. 1. ff. de ſuis. & l. hæred. l. ſi nemo ſubit. 142 ff. de reg. iur. l. ſi nemo. 9. ff. de teſt. tut.*

ſ *l. 2. §. Plane. ff. hoc tit.*

cano indulgere. *Etiam ſi contra patris tabulas Bonorum poſſeſsio petita ſit ſubſtitutio tamen pupillaris valet* [t]. Actum de nobis, ſi nos quidem latitaret, à Prætore, cum quis omiſsi teſtamenti cauſa ab inteſtato hæreditato poſsidet, teſtatoris volũtatem defendi, ac ſi hæreditas eſſet adita [u]; ergo & imam ceram ſeruari: ſique ignoremus contra tabulas poſſeſsione conceſsâ, vel haud immutari quæ liberis data ſunt, interquæ & ſecundæ tabulæ [x], vel non infirmari teſtamẽtum, quod non poſsit Prætor, á quo poſſeſsiones, vt nec hæredem facere [z]. Nec obſtat quod Imperator alibi ait, æque ad inteſtati cauſam redire eum, contra cuius tabulas petita eſt Bonorum poſſeſsio, ac ſi querela fregerit teſtamentum [y], quo caſu omnino vires amittit ſuas, & rumpitur [a]. Non obſtat inquam, quoniam Imperator improprie loquitur. Nec ideò accuſandus; idem alibi factum [b]. His clypeis haud opis hodie, nam Iuſtinianus hæreditate quantumuis non aditâ, nullouè, prę teritionis cauſâ, hærede exiſtente cuncta tamen ſalua eſſe admonuit [c]. Quæ igitur opponentur fatua omnino, & æs Didoneum.

t *l. ex duobus 34. §. fin. ff. hoc tit.*

u *l. 1. ff. ſi quis om. cauſ. teſt.*

x *l. i. ff. de leg. præſtãd.*

z *§. quos autem inſtit. de bonorum.*

y *l. vt liberis. 17. cod. de collat.*

a *l. Papinianus. 8. fin. ff. de inoffſicioſo teſt.*

b *l. 1. Cod. vnde liber.*

c *Authen. Ex cauſa. Cod. de lib. præter.*

CAPVT. VI.

Compendio factam à Milite poſt Pubertatem iure directa militaris valere.

PLACVIT Romanis legũlatoribus Milites ob egregiã, quã Reipublicæ nauãt operam, atquè ob iuris imperitiam, quæ ab armis vix ſeiungitur, vnà cum ſtipendijs, priuilegium quoque liberius teſtandi dum in caſtris agunt, promerere [a]; Hinc interpretũ legiones ſeditio incedit: nullis nouis cauſis niſi quod teſtatus Centurio filio impuberi compendio ſermonis ſubſtituit, & quo iure poſt pubertatem valeret, licentiam differendi oſtẽdit. Fideicommiſsi volunt Cuiacius [b], & Goueanus [c]. Currunt ad arma cæteri, obſtrepit vulgus, directo iure ſuſtineri diuerſis incitamentis; dictũ à Papiniano [d], capi à ſubſtituto fructus in hæreditate inuentos; dictum capi & bona patris; non ergo de fideicommiſſariâ reſtitutione loqui [e], in quâ nec hi fructus veniunt, nec capit hæres hæreditatem,

a l. 1. l. teſtamenta. ff. de milit. teſt. l. 1. l. 3. Cod. eod. l. vlt. in princip. ff. de iur. liber. l. hæreditas. 34. l. ex facto. 35. ff. de hæred. inſt. l. miles ita. 41. ff. de milit. teſt. §. miles. inſ. eo.

b In l. Centuris. 15. ff. hoc tit. in eadem. l. ad lib. 8. Reſ. Pap. & 12. Obſeruat. 35.

c In d. l. Cẽturio & lib. 1. variarum. cap. 2.

d Dict. l. Centurio ibi cum fructibus inuentis in hæreditate, & ibi iure communi capiet.

e l. in fideicommiſſa-8. ff. ad Trebel.

tatem, ſed vt ei reſtituatur expectet [f]. Verum & illud ſcriptum, directò factam eſſe ſubſtitutionem, & priuilegio militari ſuſtineri [g]. Quare poſt pubertatem, ſi potuit ſubſtituere directo, & ſubſtituit, directo [h] non valituram? Præſertim cum ad fideicommiſſum trahi nequeat, quin ad ius commune inuito mehercule Papiniano. Mox Imperatorem, Pontificemque adteſtantur, quorũ ille ait, veluti ex cauſa fideicommiſsi valere [i], ergo non ex fideicommiſſo; non eſt idem quod eſt ſimile. Alter vero cũ verbis congruat, accipi ſemper directam ſubſtitutionẽ debere [l]; ſed & à Pagano factam poſt pubertatem, fideicõmiſſum cenſeri [m]. At à milite? Quis dubitet eſſe directã? His huius partis incenduntur animi. At Cuiacius è contra, & Goueanus, quorſum Papinianũ dixiſſe Patris dũtaxat bona capiẽda, fructuſque in hæreditate inuentos [n], ſi indirectam venire dubitari haud fas, illudque ſit fideicõmiſsi proprium [o], cum directus ſubſtitutus filij quoque bona ſibi vindicet [p], niſi vt fideicommiſſariam eſſe noſcamus [q]? Poſt pubertatem directo ſubſtitui fruſtra [q], fruſtra dictum, ſi cũ

f *l. cum hæredes. 13. ff. de acq. poſ. l. 13. & 15. ff. de reg. iur. Alcia. in l. aliud. eſt capere. ff. de v. ſi. §. reſtituta inſt. de fid. hered.*

g *d. l. Centurio ibi directo ſubſtituit, & ibi ex priuilegio militum.*

h *Eius 34. l. Milites. l. miles ita hæredem. ff. de milit. teſt. l. Quinque Cod. eod.*

i *l. precibus. 8. Cod. de impub.*

l *Cap. ſi pater. de teſta. in 6.*

m *Cap. Raynuntius extra. de teſt.*

n *d. l. Centurio. ibi Patris duntaxat.*

o *l. cohæredi. §. Quod ſi hæredem. ff. hoc tit.*

p *l. ſed ſi plures. 10. §. filio. ff. eod.*

q *l. verbis. 7. ff. eod.*

 effectu

effectu à milite fiat. Non probaturum Imperatorem; ſi directa, à Matre hæreditatem obtineri, hoc eſt, iure teneri, bona ex eâ peti, quod fideicommiſſarius facit [r]; ex cauſâ fideicommiſsi valere; & tamen ſcribi ab eo factam à Milite ſubſtitutionem, veluti ex cauſâ fideicōmiſsi valere ſubſtitutum quæ bona patris à matre petere hæreditatē obtinentes [s]: ergo de fideicommiſſariâ. Quî, ſi poteſt iure cōmuni valere inuidiam velit ſibi ſuo priuilegio miles conciliare [t]? imò nec ſi velit, poſsit, cui priuilegium ita conceſſum, vt ius alterius haud lædat [u], & læderet profecto, nam Ciui Romano teſtamenti factionem adimeret. Sit igitur hæc eius priuilegij vis, vt quæ alioquin excideret, & collaberetur ſubſtitutio fideicommiſsi fulcro ſuſtineatur. Verum hæc ſi in trutinâ librentur, cœlum con tinuo petant, leuia omnia, & tenui glacie fragiliora, quibus prudens non inſiſtat. Datum militibus, vt Compendio ſermonis ſubſtituant, & directæ vim ea ſubſtitutio habeat. Sed & in eâ hoc propriū, ne alterius ius inuaderet, patris tantum, non autem filij bona complecti, cum ijs fructibus, quorum contro-

r *l. mulier. 22. §. non eſt ad Trebell.*

s *d. l. precibus ibi à te peti, & ibi veluti ex cauſa fideicommiſsi, & ibi te eius heredem obtinente.*

t *l. quanquā. l. in princip. Cod. de milit.*

u *l. 2. §. merito. & §. ſi quis à principe. l. ex facto. 41. in princip. hoc tit. l. cum filius. 28. ff. de milit. teſt.*

controuerſia facile potuit excitari, nẽpe quos legitimi hæredes inſtituti collegerunt, idquè ex cauſâ quaſi fideicommiſsi, vt Diocletianus ait, non porrò ex fideicommiſſo. Vis fideicommiſsi, huiuſquè ſubſtitutionis videre ſimilitudinẽ? inſpice res; eædem ſunt in ambobus: mox tempora; in ambobus poſt tempus reſtituuntur; deinde perſonas; mater petitione hæreditatis tenetur. Iure itaque filij hereditatem, vt Diocletianus ait, obtinet; & ab eâ ſubſtitutus mariti bona petit; ius ſibi nulli fas dicere x, ergo nec violentâ manu ſubſtituto bona patris, quæ mater occupauerat, arripere; ſed vindicet ſuaquè eſſe vocitet; Poteſt; audietur. Leuis igitur, ac prorſus inanis cauſa Cuiacio ab alijs diſcrepandi, à quo, bonum factum, ſi cæteri deſciſcant, aut hoc fœdere paciſcantur, vt faſces, & arma ſubmittant, & hanc Centurionis ſubſtitutionem directam eſſe vltro concedant.

x *l. extat. 13. ff. de eo quod met. cauſ. l. ſi quis 7. Cod. vnde vi.*

CAPVT.

CAPVT VII.

Inhāc Centurionis ſubſtitutionē fructus eos venire, quos filij legitimi heredes collegerunt.

AT quid de fructibus? & hic tricæ: ſunt vnicuique ſua iudicia; ſed multi ſemitam ingrediuntur, cum maximê cenſent viam. Res omnis petenda ex ijs Papiniani verbis. *Cum fructibus inuentis inhæreditate*; quæ quidem facile nobis imponant; & non ſentientes ad fideicommiſſum deducant. Præcauendum igitur, & fax præmittenda, quæ has tenebras depellat.

Fructus in fideicommiſſariam reſtitutionem veniunt; quia augent hereditatem, vt à teſtatore percepti [a], vel eo languente maturi [b], vel ante aditam hæreditatem collecti [c]. Alij vt veniant partim ius facit, ad fideicommiſſum, ſi forte minutum, ſupplendum [d]. Partim; Ipſe teſtator, ſi nominatim, vt fructus reſtituat, ab herede deſideret [e]. Nominatim? quid, ſi quicquid ex bonis ſupererit, vel quantacumque pecu nia

a l. Ita tamen. 27. §. 1. in fin ff. ad Trebell.
b l. ij. ff. ad l. falcid. an l. ſi fraudator. 25. §. proculus. ff. quæ in fraud. cred. l. fructus pendentes. ff. de rei vin.
c l. Ita tamen. 2. §. primo l. ſed & ſi lege. §. vlti. l. ancillarum. ff. de hered. perit.
d d. l. ita tamen. §. fin.
e l. in fideicommiſſariā 18. in princ. ff. ad Trebel.

nia ex hereditate peruenerit, edixerit? parendum,&in fructibus.f Ah caue

Et digito compeſce labellum

inſtillat aliquis. Adſtat Papinianus, adſtat Modeſtinus. An ne iſti cōtrarium? dic ſodes. Quidni. Cedo verba. *Quicquid ex hæreditate, boniſve meis perVenerit* g. Haud iſta contraria; nōne audis addidiſſe teſtatorē in *bonis ſuis*, quod haud in ſuperiori factū? nec mirum ſi de fructibus nihil; ij non ex eius bonis, ſed ex heredis percipiūtur. Admonitum me vis alterius Papiniani ſententiæ, qui ſuperfluos fructus, ait, non reſtituendos, ſi in teſtamento ſic fuerit ſcriptū. *Quod ex hereditate ſupererit, cū morieris reſtituas* h: Quid dicam : fumus in oculus meis hæc Papiniani verba;& ne alterutri abrogāda fides ſit, abrogabo potius cum Cuiacio i receptam lectionem; ſcribā-què *ſuperfluos fructus eſſe reſtituendos*, alioquin haud pro re hanc adduxiſſet Papinianus rationem. *Cum ea verba diminutionem quidem hereditatis admittunt, fructuum autem additamentum non recipiant*: quæ, vt ille ait, ſignificat, heredibus; ijs verbis datum vti hereditate, nec de eius diminutione inquiri, fructus vero minime permiſſos. Ita dirempta pugna. Tamē

f *l.* 3. *§. Nonnunquam ff. de vſur. l. Baliſta.* 32. *ff. ad Trebel.*

g *l. Herodes.* 57. *in princip. ff. ad Trebel.*

h *l. deducta.* 18. *§. penult. ad Trebell.*

i 12. *Obſ.* 10. *& ad Pap. lib. reſp.* 9. *in d. l. deducta.*

tur[t], quid mirum ſi in reſtitutionem veniant? ex hâc luce, & illud clarum: quos fructus ſibi ſubſtitutus poſcat. An fortaſſe qui augent hereditatẽ defunctiquè fortunas? non paucos pedes abſunt à vero, qui putant; nam quid opus de fructibus exprimere, ſi bona defuncti ad ſubſtitutum pertinere iam dudum ſcriptum, receptumquè[v]? ij ergo reſtitutioni ſunt obnoxij, quos haud poteſt fidei commiſſarius conſectari: nempe eos, quos legitimus inſtituti heres antequam ſubſtitutus bona petierit, collegit. Audite paradoxum inquies, nonne id expreſſum dictumquê ſuperius reſtitui non oportere? ne id increpes, vel obiurges: nô hîc de fideicõmiſſariâ hereditate quę dũ nõ petitur in fiduciarij bonis eſt, ergo & fructus qui ex illâ. At legitimus heres nullo iure Centurionis filio mortuo paterna bona occupat; ſtatim enim ad ſubſtitutum, & ſi non petat: hæc directi iuris vis. Ob quæ, & fructus ad eundem[x]. Haud deſunt qui Laciniâ pallij me reuôcent, monitumquè velint intellexiſſe Papinianum de fructibus in hereditate patris inuentis, quòd ea verba dubiò circumacta ad teſtato-

t d.l. mulier. d. §. alia

v Hac noſtra. l. Centurio. 15.

x l. 2. l. item veniant. § item non ſolum in fine. ff. de pet. hered.

z l. Cum in t. t. 3 c. ff. d. a. t. r. & arg.

rem debeant referri z. Quos audire, haud è re meâ eſt: noui enim vera ab eis dici, cum de teſtatoris verbis ambigitur, cum vero de Iuriſcóſulti nequaquam. Igitur ij fructus ſubſtituto cedunt, qui omnino fiduciarij heredis ſupellectilem auctum irent, percepti nimirum antequam bona patris peterentur.

CAPVT. VIII.

Pupillari ſubſtitutione expreſſâ matrem excludi.

à l. nam is. in princi. ff. de inof. teſt. l. ſcripto herede. §. fin. ff. vnd. lib.

PIETAS nunc & miſeratio, ob quæ parentibus, ſi contingat filium hoc corporis carcere prius emitti, eius debetur hereditas[a], admonet nos vt deſpiciamus, num pupillaris expreſſa, vel quæ Compendio facta eſt, matrẽ â filij hereditate importune arceat. Sed ne forte nos in curſu remoretur, aut ſufflaminet moroſula obiectio; tacitam eſſe quam complectitur cópendio rationis facta ſubſtitutio; libet primum de eâ ſic ſtatuere: expreſſam ſubſti-

ſtitutionem dici, vel quia verbis proprijs facta eſt, videlicet ſi heres erit, & ante pubertatem deceſſerit; vel quia ſub quadã generalitate verborũ exprimitur, exẽpli gratiâ, *Quandocumque deceſſerit*, & hoc modo expreſſa dicitur, quæ compendio factæ ineſt. Hinc Imperator de ſubſtitutione à milite factâ. *Si vero*, inquit [b], *ſubſtitutio in ſecundum caſum vel expreſſa, vel compendio, non vſque ad certam ætatem facta reperiatur*, Non vt expreſſam alteri illi ex aduerſo poneret, ſed vt diſcrimen agnoſceret inter proprijs verbis ſcriptam, & generalibus; nec nos alio flectere poteſt ſcitula quorundam concluſio. Inquit Iuriſconſultus à Diuo Marco conſtitutũ, vt pupillaris vulgari ineſſet, & hæc illi inuicem: & ſubdit *Quod ius ad tertiũ genus tractum eſt* [c]. Quid illi? ſi idem ius tractum eſt, ergo erit tacita, quia, quæ ſe vulgari inſinuat, tacita eſt: ſed aſtutè potius quam verè. Ius illud tractum eſt, vt Reciproca vtrumque teneat caſum: ſed diuerſo quidem modo, ac vulgaris ſimplex; nam cum ea verba, ſi heres erit, præter vulgarem nulli conueniant, neceſſe quidem fuit intelligi pupillarem, ſed tacite: nõ hîc

b *Dict. l. precibus.*

c *l. 4. in princip. & §. primo. ff. de vulg.*

item; Reciprocæ verba nullam exprimunt,ergo vnicuique poſſunt adſcribi: hinc aperi rationi ianuam, videbis expreſſam pupillarem eſſe, quę ſub Reciprocâ. Remoto ſeu fracto hoc repagulo, exorbitare, eorumquè, qui non omnino Fidei litarunt,ſemitam ingredi, nolo, ſed tritum, & calcatum iter ſequi; nempe, matrem pupillari expreſſâ excludi; me vide, & nullam hic diuiſionem.Mater non dicit inofficioſum,quia patris teſtamentum eſt [d], ergo excluditur.Falſo(inquient)hęc colliguntur ſaltem in quartâ, quæ matri leges tribuunt, nam & frater querelã habet turpi inſtitutâ perſonâ;non legitimam [e]. Falluntur legitimam habet, cum hæc turpis perſona interuenit, hinc querela; voluتent Iuſtiniani nouas conſtitutiones; reperient [f]; diuerſiculum fortaſſe hoc quærent; haud à matre dici inofficioſũ; ſed petere poſſe,quæ à filio prætendit conditione ex lege [g]. Fores occluſæ ſunt,id facere poteſt cui & querela præſto eſt [h]; procul querela? ergo & illud vetitũ.Trepidas adhuc & nutas?age age maiora ſuppeditabo fulcra: *Mater*(inquit Paulus) *ad hereditatem admouetur, quia ſubſtitutio ad ca-*

ſum non

d *l. Papinianus. 8. §. hæc impuberis. ff. de inoffi.*

e *l. frater. cod. de inoffic. §. ſent. inſt. eod.*

f *Auth. de hered. & falcid. §. primum itaque*

g *l. omnimodo. l. de inoffi.*

h *d. l. omnimodo.*

ſum non exiſtentium heredum pertinet[i]; ſi ergo pupillaris fuiſſet, non certè mater, ſed ſubſtitutus. Verú vide quæ & Imperator. *Factâ ſubſtitutione pupillari, vel expreſſâ, vel ſub Compendio, ſi filius ante pubertatem obierit, eos habeat heredes, quos ei pater dictauit*[l]? quod ſi Imperatorem, & Iuriſconſultum teſtes eleuant, quid facient Pontifici, qui his ipſiſsimis verbis reſcribit? *Licet autem filius teſtamento ſuo matrem portione iure naturæ debitâ priuare non poſsit, pater tamen in teſtamento, quod filio impuberi facit, poteſt, nam teſtamentum huiuſmodi pupillare, paternum, vel paterni potius pars eſt*[m]. Ergo per alium id agam, quod nó per me[n]? Quidni? nã & ſi tu nequeas[o] haud tua id indulgentiâ pater, ſed legis authoritate[p]. At nóne ſuo iure priuabitur mater[q]? Minime: nullum habet ius mater niſi in teſtamento filij; à quo ſaltem legitima repelli nequit; ſed pupillaris ſubſtitutio, tabellæ & linum patris ſunt[r]. Turpe quidem parentis priuilegium exclamas, qui ſecũ matris, & detrimentum aufert, & damnum[ſ]. Tempera vocibus; móſtratum ſatis, nullum hic, priuilegium, idque ex meraciſsimo iure patri datum; hoc patria poteſtas, hoc Mores, hoc Lex:

i l. Lucius. 35. ff. hoc tit.

l d. l. precibus.

m Cap. ſi pater de teſt. in 6.

n Contra. l. neque per ſe Cod. de hered. inſt. l. Minor. §. fin. ff. de procu. l. Nemo plus. ff. de reg. iur.

o Auth. Presbyteros la. 2. cod. de epiſco. & cleric. l. ſi filius ſuus. cod. inoffi. dotibus.

p d. l. 2. hoc tit. princi. inſtit. de pup.

q Contra l. pater fam. ff. de hered. inſtit.

r Vt recte probat. d. l. Papinianus. §. ſed nec impuberis.

ſ Cõtra l. impuberis. 90 ff. de adminiſtr. tuto. l. cum filiusfam. 28. de milit. teſt.

Eſto.

Eſto. Sed quare in Iuſtinianeâ mater ſubſtitutione, quæ viuum præfert pupillaris exẽplum[t], non excluditur[u]? quia non in omnibus ſimilitudo. Itaque properate manus tollere, faterique; repulſam matris, nam

Quod modo propoſui non eſt ſententia verũ eſt.
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

t Princip. inſt. de pup. l. humanitatis. C. de impuberibus.
u dict. l. humanitatis, iuncta auth. de functo. cod. ad Senatuſc. Trebell.

CAPVT. IX.

Matrem tacitâ Pupillari non excludi.

IDem eſſe in eâ, quæ tacite ineſt vulgari expreſſę, nonnulli protendunt. An & vere acris iudicij res eſt. Aures tamen faciles præſta: paucis expediã. Primũ caſum, *ſi heres nõ erit*, ad ſecũdũ, *ſi erit, & poſitâ nõdum prætextâ moriatur,* protrahi diui fratres ſanxerunt[a]. De hoc nullę rixę: illud maximè pugnatũ; nũ matre ſuperſtite, cui filij hereditatẽ ab inteſtato Senatuſcõſultũ Tertullianũ defert[b] ſubſtitutus inſitæ illi⁹ pupillaris vi ſuccedat. Negãt, cui rectus animi ſenſus: *Non eſt incerti iuris* (ſit Imperatori

a l. 2. §. penult. §. iam hoc iure. 4. ff. hoc tit. l. quamuis. 4. C. de impub.
b §. 1. & 2. inſt. ad S. Conſult. Tert §. 1. inſt. vnde cogna. Vlpia. tit. 28. Paulus. 4. ſent. l. 2 ff. ad Tertul.

peratori veneratio.) *quod ſi quidem in patris militis poteſtate poſitus primo tantum caſu habuit ſubſtitutum,& patris heres extitit, eo defuncto ad te omnimodo eius pertineat ſucceſsio* [e]. Quî potuit clarius? fortaſſe prohibent Caligæ, ne in illis, de quibus Imperator, tabellis idem ac in cæteris ius cenſeatur? procul ab illis, quæ ſcripto non carpuntur, coniecturæ [d]. Eſto: non itē præſumptiones, ex quibus ea pupillaris tacita [e]; nec vlla iubet Lex ſcriptioni adhereſcentes nos voluntatē neglectui habere; ſed quod in alijs ſolemne ſtatumque eſt, à nobis in ijs non requiri: hæc ab ipſa veritate dictata excipias, obſerues [f]. Multi tamen, quos prætereſum tam tritæ opinionis, eam eunt funditus euerſum; ſed obſiſte, herbam dabis: quem admouent lapidem? an eãdem taciti & expreſsi vim eſſe [g] matremque tacitâ excludi, quia expreſſâ? non illud æternum vere [h]; nō hic vbi abſolute expreſſa; non abſolute tacita, ſed tacito intellectu contra matrem non admittendo ſubſtitutum vocat: an idem obtēdunt, quoniã quę ſub reciprocæ perſonâ latet, ſubſtituto fauet [i], in quâ idem, at in à vulgari contectâ ius [l]? tacita hæc omnino, &

c *l. precibus. cod. de im pub.*

d *l. 1. cod. de teſt. milit. l. 1. l. ſi miles vnus. 6. l. ſi miles. 41. ff. eod.*

e *Menoch. lib. 4. præſumpt. cap. 39. nu. 8. & 18.*

f *l. Lucius. 40. in princip. & l. diuus. 24. ff. de teſt. milit.*

g *l. cum quid 3. ff. ſi cert. pet.*

h *l. 2. ff. Quemadmo. vſuf. amittat. l. creditor. §. ſi inter. ff, mandat.*

i *l. Lucius. ff. hoc titu. l. quamuis. cod. de imp.*

contra teſtatoris verba admiſſus ſubſti tutus: Expreſſa illa ſaltẽ genere verborũ, & iuxta verborũ ſenſum admiſſus ſubſtitutus: idẽ ergo in illis Ius, in pupillari ſcilicet obducẽdâ; at diuerſum in obductionis modo. Audiamus Iuriſconſultum quem in nos armant. Lucius Titius duos filios legitimum alterum, alterum naturalem inſtitutos inuicem ſubſtituit; aditâ hereditate moritur legitimus; extruſo naturali filio obuiam ſe mater facit, quia ille in ſecũdum caſum ſubſtitutionis capax haud erat [m]. Finge capacẽ; nonne mater operietur foris? quidni, ſi eá pupillaris reciprocæ partus eſſet? ideò nec tacita. Haud plus Imperator, eo, quo nos profligare aduerſari maxime arbitrantur, loco [n]. Admittitur mater, quia coheres eſt; quia pater ſuæ ſubſtantiæ partẽ vxori relinquens, multo magis & luctuoſam hereditatẽ ad matrẽ venire iurauit. Siſtatur hic rationũ curſus; Hui⁹ Pol iuris deficiet amnis [o], & ſubintrabit ſubſtitutus. Nó ea ſola ratio, ſed hęc data comes; quia æquũ, eſt matrẽ mœrore attritam filij immaturo fato, luctuoſa eius hereditate nó priuari. Quę ſiue coheres data ſit, ſiue nó, ſemper ſtat; Nec

m *l. Lucius. 45. ff. hoc tit.*

n *l. fin. cod. de inſtit. & ſubſtit.*

o *l. quod dictum. 32. ff. de pact. l. in omnibus. 88. de regul. iuris.*

ẽas tacitus hic intellectus fores perfrin gere debet; quas maternum Ius occluſit: quid ſi Imperatorem faciant de ijs loqnentem, quæ nec per ſomniũ ſenſerit? teſtator poſthumo pro parte inſtituto, ſi non naſcatur, ſecundũ aſsignat heredẽ: eo non nato nemo audeat ſubſtituto litem mouère. Natus vero ſi ſit & extinctus hereditate non adita; dic ſodes quis heres? hoc Imperator tractat, diſputat, vẽtilat. Falluntur qui cẽſent diſſeri ab eo de nato poſthumo, & poſt aditã hereditatẽ impubere adhuc mortuo: nulla aditę hereditatis mẽtio, cuius aditio futilem Papinianeæ, & Vlpinianeæ dubitationis reddant mẽtionem; cũ ſublata iã à Diocletiano ſit p. Friuolam quoq; & putidam efficiat iu Iuriſconſultorũ rationẽ; quid enim ſi adita hereditate de pupillari tacita ſit ſermo, referat matrem coheredẽ eſſe, necne? at *eius hereditas* dicitur, & *luctuoſa*, & *hereditas*; Filij ergo; nam ſi patris, *portio* potius *hereditatis*, nec *luctuoſa*, & *ſuo* non *eius* diceretur. An & grãmatici perſonam induimur? fiat; non illis ilimatũ inexaſceatumque *eius* pro *ſuo* ſcribere; nec aditio in cauſa quin filij portio dicatur *luctuoſa*, quę ſi quod futurum erat

p *dict. l. precibus*.

intueamur, & *hereditas* recte dicetur. Hæc fortaſſe probabuntur, quibus, & vniuerſa Bartoli; & ijs matrem non excludi, diſplicet Bartolus? (quod merito nonnũquam) anticis adhere; minus haud dabis non excludi matrem.

CAPVT X.

Compendio factam à Pagano verbis communibus poſt pubertatem flecti ad fideicõmiſſum cum interpretatione tamen Papiniani.

VErbis directis, Ciuilibus, Legitimis poſt pubertatem vni militi ſubſtituere datum: precarijs obliquis, inflexis haud cuiquam vetitum [a]. Accidit & aliquãdo compendio orationis ſubſtitutionẽ fieri verbis quæ quocunque vocas veniunt. Id ſi à Pagano factum, nec prætextæ poſitionem mors filij præuerterit, ſubſtitutio ad fideicommiſſum flectitur, cum Papiniani tamen interpretatione laudatâ nunquam ſatis [b]. Præcurro? paulum reuertar? trigemina eſt cõditio cauſalis, poteſtatiua, mixta.

Primam

[a] *argumento huius noſtræ legis, & l. coheredi 41. §. Quod ſi heredem ff. hoc tit. §. fin. inſt. de pup.*

[b] *l. Cum auus. 101. ff. de cond. l. generaliter. §. cum autẽ cod. de inſt. & ſubſt. l. cũ acutiſsimi cod. de fideicom.*

Primam fortuna, alterã honorati vo lũtas, poſtremã & hæc, & illa vna adim plent[c]: mortis conditio, cauſalis; tota pendet in fato; & hæc ſola in hac ſubſti tutione appoſita ex mente Papiniani explicãda; vt nimirũ tacitam eam *ſi ſi-ne liberis* conditionem ſibi inſitã celet; cæteras excludo: proniorem propẽſio-remq; in eum, cui reſtitui oportet, te-ſtatorem illę oſtendunt, haud illa. Nec inculcandus hic Lucius, qui niſi eam prudenti conſilio addidiſſet, nepo-tes haberet extruſos[d]. Quid nos cum ſubſtitutione directâ vulgari? an for-taſſe, quia Principis indulgẽtiâ furio-ſo facta eiuſdem filij agnatione rumpi tur[e]? ſed ſibi Lucius heredẽ dixit; hic filio, qui ſimul ac ipſe ſibi poteſt inſcri bere heredem, explicat ſe à paterni te-ſtamenti nexu nodiſque. Scribere ve-ro vel neceſſarium ſuſcipere heredem pariare libet: ergo natus filius ſubſtitu tionem â patre factam ſoluit & meri-to; non idem in Lucij tabulis, à quibus ratió ea abhorret. Profectò dignus Pi-pinianus laude, cui paterna ſoboles cordi; non quia id ipſe conſtituerit: in-terpretandi munus recte ille obeat[f]; haud tamen quod purũ eſt in conditio

c *l. vnica. §. fin' autem. cod. de cad. toll. l. fin. cod. de Nec. Hered. ſer.*

d *l. Lucius. 85. ff. de he red. inſtit.*

e *l. ex facto. 43. ff. de he tit.*

f *l. 2. §. deinde. ff. de Orig. iur.*

nem vertat[g]: ſed quia ſublime ei ingenium: quo alte adeò parentũ mentem penetrauit, vt ſuſpectâ eorum in liberos affectione, pietateq; ijs à naturâ inditâ, volũtaté quoq; indagarit, norit, detexerit. Vndeipſomet iure, ipſâ lege conditionem eam ineſſe appareat : ſi quidem lex iubeat fideicómiſſa ex voluntate pendere[h], & voluntas ea fuerit, vt liberis haud præferretur ſubſtitutus: attamẽ haud deſino mirari, quî voluntas hæc innotuerit.

Scripto[i]? In teſtamento ne verbum quidẽ, imò contrariũ colligemus, pure quippe fideicómiſerit[l]; erige te ad exemplum: qui patronum heredẽ inſtituerit, cum maxime vellet fratrem, idque ſciretur, neuter ad hereditatem admittitur[m].

Cõiecturâ[n]? cõiectura inquit Accurſius legitima eſt probatio veluti teſtiũ, & id genus: Cuiacius, ex manifeſto ſigno quæ ducitur, coniecturã dicit, quocirca Carinus probationibus mõſtrari defuncti voluntaté cupit[o]. Cuiuſcemodi hîc nullæ ſunt. Vidimus itaq; teſtamentũ illius, qui cũ inſtitutioni códitionem inſerere voluiſſe crederetur, nec inſeruerit, penitus euerti[p]. Vidi-

mus

g l. 1. §. ſi quis ſimpliciter. ff. d. verb. oblig.

h l. penult. ff. de leg. 1. l. cum proponebatur ff. de leg. 2.

i l. ſi vnum ex famila 67. §. ſi omiſſa. l. cum pater. 79. §. cum imperfecta. ff. de legat. 2.

l l. 1. ff. de cond. & demonſt. l. omnia 32. in princ. ff. de leg. 2.

m l. quoties. 3. in princip. ff. de hered. inſtit.

n l. quiſquis 93. ff. de leg. 3. d. l. cum proponebatur.

o l. cum virũ cod. de fideicom.

p l. 9. §. tantundem. ff. de hered.

m̄us difficilia captu nõ ſcripta cenſeri; multò certè magis omnino non ſcripta q. Sed verius eſt Papinianũ ad coniecturas intẽdiſſe ingenij aciẽ, iiſq; prorſus occurriſſe; ſi quidẽ quod plerumq; accidit, certũ eſt ſignum, & inde coniectura r. Pietas vero parẽtis, quę & quãtâ in illis pectoribus? qui ſe in pericula dare; nõ dicã & in mortem? vt filijs nõ vita, ſed facilis vita maneat, vltro hauẽt: hinc Papinianus voluntatẽ conie-cit, & dictãte naturâ; quæ proprio ſanguini extraneũ in hereditate præferri, indit haud credendum. Secus ſi pater ſubſtitutionẽ non ſub cõditione mortis, ſed ſub aliâ quâcunque cauſali cõceperit. Nã ſi fideicõmiſſarium viuenti filio proponit, nonne & nepoti ſ?

q *l. 2. Quæ primum ſcrip.*

r *Arg. l. antiqui. ff. ſi pars hered.*

ſ *l. penul. §. Nam licet cod. de bonis. pater.*

CAPVT. XI.

Militem haud cenſeri ſimplici fideicõmiſſo heredem in legitimâ grauaſſe.

E*cce iterũ Criſpinus, & eſt mihi ſæpè vocandus, Ad partes,* Ait Iuuenalis; Ego verius de milite, qui toties nos ad ſcęnã reuocat; vt iã moroſus fiat: ita eſt, & hoc ex priuilegio. Certé iure iſto fere omnes illigantur, vt filio, ſi nõ in

totum

totũ ſaltẽ partẽ à lege deſtinatã immunem relinquat [a]; Aliàs eſt querela in prõptu, vel totũ teſtamẽtum diſcindere [b]. Quota iſta pars? quartam iam pridem à Iuriſcõſultis diffinitũ [c], quâ tuti, & ſecuri frui, potirive filij queant. Dubitatur de milite; imò verò, velit ipſę modo; leges dabunt [d]; ſed an cum id non expreſſerit interpretatione iuuetur. Illud dubiũ; profectò, ſi haud vetitum tacite aliquid facere, cui datũ expreſſe [e], nec militi vetitum. Vis maius robur? hoc age: pręterit filiũ miles, hoc ipſo priuat legitimâ [f]. An non magis priuabit ſi fidei eius cõmiſerit, vt reſtituat? ſane dixerit fortaſſe quiſpiã, cui boni humeri; nos vero huic opinioni ſuas ſibi res iubemus habere: pręteritio militum pro exheredatione habetur [g]; Exheredatus vero nihil habet, idcirco expreſſe videtur legitimã ademiſſe; cæterũ, cum poteſt, iure cõmuni & miles cenſetur [h]; hîc maxime, vbi cõtra naturam, quâ ea portio debita eſt [i], militẽ aliquid voluiſſe haud facile inducar, vt credã. Plura poſſem; ſed & hoc excidit è lineâ, & eſt mihi vt verè fatear algâ vilius, imò & â tergo monent.

Claudite iam riuos pueri, ſat prata biberunt.

a *l. omnimodo 30. cum ſeqq. cod. de inoff.*
b *l. quoniam. 32. eod. eod.*
c *§. Igitur vlt. inſt. de inoff.*
d *l. fin. in princip. l. teſtamentum. 29. l. de in officioſo. cod. dict. tit.*
e *l. cum quid. 3. ff. ſi cert. pet. l. 3. de leg. 1.*
f *l. ſicut certi de milit. teſt. §. penul. inſt. de exhered. lib.*
g *d. §. penult.*
h *l. Cẽturio hoc tit. & l. quanquam. 3. & l. in teſtamento. 6. cod. de milit. teſt.*
i *l. 1. cod. de port. quæ lib. dam. cap. ſi pater de teſtis in 6.*

1173 1

962852

Mei '92